

1
6
244











B 1


BIBLIOTHECA
VENETIARVM
ALMI
ORDI-
CÕVẼT
NIS
SS. IO. ET PAVLI
PRÆDICATORVM
Suor Isabella Piccini F.

3

BIBLIOTHECA.

Almi Conuentus

S.S. IOANNIS, ET PAVLI

Venetiarum Ordinis Prædicatorum.

Nupèr aperta

A' FR. IACOBO MARIA IANVITIO,

Infimo eiuſdem Ordinis, & Conuentus Alumno,

Nullius Scientiæ Profeſſore

Minimèque in Poëſi verſato.





VENETIIS, M.DC.LXXXIII.

Typis Ioſephi Prodocimi.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentissimo, ac Reuerendissimo D.D.

VINCENTIO MARIÆ

S.R.E.Cardinali Vrsino Romano

Ex eodem Prædicatorum Ordine assumpto
Archiepiscopo, Episcopo Cesenati.

TAndem Ioannis Sanctorum Pauliq; Iacobus
Almi Conuentus Bibliothecam aperit.

Hanc Tibi, quam struxit, supplex Ianuitius offert,
Màiora haud pollens dona referre miser;

At Tu clementi solito nunc suscipe vultu
Scriptum, & Scriptorem compatiendo foue.

Indignum fateor tanto hunc Heroe Libellum;
Nutibus at pareo, queis mihi iussit Herus.

Absit de Te iàm notas hìc pangere laudes,
Quas ego nec valeam, Tu neque ritè feras.

Sospitet, Omnipotens Te lætum & ducat in æuũ,
Petri qui Lampas, Dominicique Iubar.

Ni Studioso, curioso Lectori.

Bibliotheca mea en clemens tibi Lector aperta;

Sique studere nequis, quæso videre velis.

Die 24. Februarij 1683.

Imprimatur

Fr. Io: Thomas Rouetta Inquisitor
Generalis Venetiarum.

Gio: Battista Nicolosi Sec.

Venia Reuerendiſs. Magiſtri Generalis Ordinis.

Nos Frater Antonius de Monroij Sacræ Theologiæ Profeſſor, Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Seruus.

CVm, vti nobis exponitur, A.R.P. Magiſter Frater Iacobus Maria Ianuitius Prouinciæ noſtræ Sancti Dominici Venetiarum, Opuſculum, cui Titulus. *Bibliotheca Almi Conuentus Sanctorum Ioannis, & Pauli Venetiarum Ordinis Prædicatorum, nupèr aperta à Fratre Iacobo Maria Ianuitio*, compoſuerit, illudque prælo ſubijcere deſideret, Nos harum ſerie, noſtrique Officij Authoritate, quantùm in nobis eſt, & ſeruatis aliàs ſeruandis, Paternè indulgemus, dummodò ab Admodum Reuerendis Patribus Magiſtris Fratre Ioanne Petro Bartoletti, & Fratre Petro Bianchi præfatæ noſtræ Prouinciæ, luce dignum iudicetur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam die 30. Ianuarij 1683.

Frater Antonius de Monroij Magiſter Ordinis.

L.S.

Regiſtrata fol. 98.

Frater Henricus de Guſman Magiſter Prouincialis Terræ Sanctæ.

Cal-

Calculus censorius primi Reuisoris.

Venetijs. Die 9. Februarij 1683.

OPusculum, cuius inscriptio, *Bibliotheca Almi Conuentus Sanctorum Ioannis, & Pauli Venetiarum Ordinis Prædicatorum, nupèr aperta ab A. R. P. Magistro Fratre Iacobo Maria Ianuitio*, iussu supremi mei Antistitis, Ego infrascriptus reuidi, & perlegi: ipsumque grano Sinapis minimo quidem omnibus seminibus, oleribus tamen, quin & inter Arbores maiori, comparaui: dum Opus sanè exiguum in semine, sed inter Gusmana Olera excrescens, maximam Arborem effectum, ita vt Volucres, ijque Sublimiores Dominicani Cœli (cuiusmodi sunt celebriores Scriptores Ordinis, Sacrorum Conciliorum Patres, Hæresisque, ac Hæresiarcharum Expugnatores) veniant & habitent in ramis eius, conspexi. Meritò igitur Gentilitiam Compositoris Arborem, Sinapim eò vel magis dixerim, cùm eam in prælaudato Opere, suprà omnem Vitruuianæ Architecturæ ordinem, ab eodem Authore mirabiliter ordinato, à quo & mirabiliùs descripto, nedum delectabilibus Poeticis, Humanisque floribus optimè olentem, verùm, & sapidissimis fructibus Theologicis, Scripturalibus, & Chronicis sparsim scatentem, quibus & allecta desuper Auium Regina volitans nidificat Aquila, prænotauerim. Quodque hæc Veritatis potiùs quàm Amoris ergò scripserim,

Le-

Lectores ipsos, sinceros aduoco testes. Ipsum propterea prælo dignissimum, cum sequenti Symbolo censeo.

Arbor Sinapis

EPIGRAPHE.

Ex minimo Maior.

Magna aptantur Magnis, sic benè paruula Paruis:
Ex minimo Maius, soli Iacobe tibi.

Ego Frater Ioannes Petrus Bartoletti Sacræ Theologiæ Magister, & Serenissimi inclitæ Venetiarum Reipublicæ Status Consultor, Manu propria.



Calculus censorius Secundi Reuisoris.

Taruisij die 20. Februarij 1683.

OBtemperaturus Reuerendiſſimi Patris mei, & totius Ordinis Generalis Præſulis Imperio, totam R.A.P. Magiſtri, noſtri ſemel, & iterùm Exprouincialis Fratris Iacobi Mariæ Ianuitij Bibliothecam, quam è Conuentu Sanctorum Ioannis & Pauli Venetiarum aperuit Vniuerſo, mirabundus aſpexi: Qui enim ampliſſimam ideam (cui formandæ omnis eruditionis, ac elegantioris architecturæ apparatus in vnum confluxerat) & primà delineatam papyro, & manuum ſtructurà concinnè reſpondente editam, conſpexeram, vlteriùs euolare intellectum, vel maius quidquam arte cogitari poſſe, non arbitrabar; Verùm, ùt legi Libellum, elanguit intellectulus meus inter fragrantes ſpiritus, quos diſtillata Bibliotheca exhalabat. Defeci tandem, conſiderans, minutiſſimo Opuſculo figuratum magis indiuiſibile punctum, quàm longè latèque diſtenſas ſuperficies. In paruula namque Poëſeos, colores addidit magnæ, ſpiritum corpori, ſalem corruptibili, Primum æmulatus Opificem, qui luteo Adæ roſeos colores, maſſæ terrenæ viuificantem animam, corruptibili moli æternitatis ſalem largitus eſt. Citò deſineret eſſe Inuentoris Bibliotheca ſtructa lapidibus, doctis ornata ſtatuis, ferreis firmata compaginibus, ni labili Chirographo ei perenniter aſſereretur: ceù id pro-

proprium est subtilioris spiritus, æternitate donare quidquid informat. Vt igitur viuat perpetuò monumentum incomparabilis ingenij, scribatur in angusta nomen Patris Magistri Fratris Iacobi Mariæ Ianuitij, quod propria modestia spreuit, aliena neglexit incuria exarare in ampliori: Sic enim augusta magis euadet memoria tanti Viri, cuius ingentia facta, inuida sepelisset obliuio, ni prouidum expanderet prælum, parcè me suggerente.

Pulcra Domus celebret Te authorem, ac omne venustũ.
Nomini at vna tuo Bibliotheca satis.

Frater Petrus de Blanchis Sacræ Theologiæ Magister; Eminentiss. D. Cardinalis Vrsini Theologus, ac Prior Taruisinus. Manu propria.



EN mihi Amicus adeſt, volui quem viſere primus:
Alloquor his ipſum, bis repetito ei Aue.
Promptus, Amice, tua optabam, & præcedere iuſſa;
Sed quid velle iuuat, vis vbi dura iubet?
Annos per binos, morbus me lethifer anxit,
Omni menſe diù, bis replicante febri:
Hac, Paralyſi ictus, iaceo nunc laſſus, & æger;
Viribus & fractus, ſqualidus, ac tremulus.
Quo valeo ergo animo, tibi nunc promiſſa rependo,
Pareo mandatis ſic ſimul atque tuis.
Compatere, & clemens hilari me reſpice vultu;
Quæ vis, ipſa nequis: Quæ potes, ipſe velis.
Sanis omnia ſana, ægrotis languida cuncta:
Corpore non valeo, ſpiritus inde cadit.
Quæſiſti, tibi noſtra recens Libraria prompta,
Inde tibi vt pateat, quod latet vſque modò.
Præſens en tibi Bibliotheca mea, eſt & aperta,
Cuius reſpicias Oſtia pulcra foris.

E'ſa-

E' ſaxo circùm ſcalpta, ornata vndique parent,
Diuiſa in partes ritè polita ſuas.
Valuæ ſunt nuceæ, inſectæ, ſpontè & maculatis
Antipagmentis, fragminibuſque ſcatent.
Ænea, & in medio effigiata Foramina perſtant,
Intùs perſpiciat qui manet exteriùs;
Sculptura Afri Doctoris ſed deſuper extat,
Fratribus & noſtris Regula cuius adeſt.
Proſtrati veneremur ſculpta in Imagine Sanctum,
Sic & deuota mente canamus ei.
Grande Decus Fratrum ſalue, Ordinum, & Arbiter huius,
Cui, intrà clauſtra, tuo das Habituque frui;
Digneris quoque nobis quæſumus eſſe Magiſter,
Es qui dignatus noſter & eſſe Parens.
Extrà quæque palàm libaſti; cerne quod intùs:
Ingredere; & nugæ ſtent procul à grauibus.
Sex & viginti hic proſtant Armaria vaſta,
Octo diſtincta in libriferos pluteos,

Mu-

Munita ex orichalco insuperabile Rete,
Custodita suis clauibus, & serulis;
Nec scalà, vt patefacta extent, est inde necesse,
Estò altè imè intùs, vecte serata duplo.
Desuper est serulà neruus religatus in ima,
Vecti qui iunctus, nectitur atque suprà:
Claui volue seram, qua neruo tollitur obex,
En & aperta patent sic simul ambo semel;
Visne fores nunc reticulatas claudere apertas?
Impellens illas, sufficit vna manus;
Nam quæ sunt intùs germana repagula sursùm,
Trudantur, repunt, vixue retracta, foràs.
Non desunt Scalæ non visæ, si quis ad alta
Quolibet euentu, scandere noscat opus;
Clausa Fores sub claue tegunt Armaria apertæ
Arcta sed alta satis, stant vbi sepositæ.
Ampla magis, quæ, Postibus alternando vicissim,
Includunt Libros, ordine structa pari.

Quæ-

Quæque Bases constante Solo fundantur in imo,
Quælibet ex istis sustinet & Statuam;
Postis ritè Basi consurgit: vtræque Corinthi
Rectà incedentes pulcrà oculis methodo.
Inde superstat Cornix, Postibus atque resaltat
Lignea, procedens ordine Composito:
Semipede, ex illa, vix omni, Mutulus exit,
Cultus vtrinque Rosis, sculptus & egregiè.
Summus Cornicibus Fornix semiorbiculatus
Surgit, seiunctus partibus in quatuor:
Sexquiquelunatis latere ex vtroque fenestris
Sex altis claret, quinque sed in facie;
Insuper ampla satis lucens in fronte fenestra
Marmorea, ac extrà Pergula se referens.
Lunulæ apertæ nunquam, quas, bis quinque supersunt
Obstruit, & septem, continuans Paries;
Sunt ita dispositæ: bis duplex angulus æquè
Tres hinc inde tenet: quinque sed in medio;
Insi-

Inſita, picta in eis Scriptorum apparet Imago;
Qui ſuper ex Noſtris emicuere alios:
Circùm ornata nitet cælatis vndique pulchrè,
Inſertis, nexis perbenè Cornicibus.
Fundo perqueforatus adeſt in Fornicis imo,
Deſuper, & Ceſpes, perſtat Epiſtylijs:
Introgreſſa, iterùm Palma illinc exit vtrinque;
Quæ ex imo naſcens, creſcit ad vſquè apicem;
Palmæ apice inciſæ ſimul hæ relingantur in alto,
Pendula, ab his Palmis, Signa rotunda patent:
Sacris Concilijs Seſſorum ſculpta & in iſtis
Noſtrorum Patrum cernitur Effigies.
Ludit ſubſiſtens egreſſus Ceſpite & Infans;
Amplexus Ramos, qui ſimul inde ſcatent;
Emittunt Rami frondes: à frondibus altè
Vnitis, amplum fit ſpatium interiùs:
Depicta hìc noſtri Doctoris Imago refulget,
Qui è pugna Victor, pròque Fide redijt.
For-

Fornicis in fine, est Fascis, perpulcra Coronis,
Cælatis manans fructibus, & folijs;
Huic religata simul redduntur singula firma:
Hinc illinc mediant Symbola & in spatijs.
Cuncta recensita excalpsit Piacetta Iacobus,
Sculptorum in ligno Palmifer, & celebris:
Cirmulca omnia, quæ non lædit dente Teredo;
Buxea mutato prisca colore manent:
Singula demùm adeò connexa, vt nesciat vndè
Finis Respiciens, aut vbi principium.
Altior vsquè Tholus fertur sub culmine Tecti,
Arte lacunatus, planus, & in medio:
Cælatæ indè Coronelypsi hinc incubat aptè;
Picturas retinens, Biblia quas tribuunt;
Nobilior mediat, Regalibus aucta Coronis:
Indè hinc sepositæ, frondiferisque scatent:
Fabre, probi, fecere duo, experti Archimagistri,
Perfectè instructi, sic & in arte sua:

Andreas ſenior de Rochis, iunior alter,
Hic Laurentius eſt Taleapetra valens.
De Fabricæ pro nunc ſtructurà ſat tibi dictum;
Denuò te vertas eſt opus ad Statuas.
Obuia non te terreat horum vincta Caterua;
Sunt victi à noſtris Patribus Hæretici.
Quæris, quos luſtras, ipſorum nomina noſſe,
Hæreſis & faſtus quos retulere ſuæ?
Infame Inſcriptum recolas, Auis indè figuram;
Communem ſenſum Diſticha vtrinquè dabunt.
Peſtiferam falſam mœret perterritus vri
Doctrinam cernens Pſeudopropheta ſuam;
Tracto, habet hanc à tergo Seſſor, retrò Sedile
Quod, Baſe ſepoſitum ſublatet, arte, ſuá;
(Actu & eodem ipſo, quo retrò Sedile recedit,
Occulit, oſtiolum ſuſdè ruens, Vacuum.)
Hæreſis, infamem exponens hinc victa Libellum,
Auctoris pedibus dilacerata ſubeſt.
Quæque Libellus habet, quæris tranſcribere forſan?
Mox, non eſt diſtans omne neceſſe tibi.

Prom-

Própta Capſulæ vbiquè manu nuceam extrahe & Áſsē:
Non te Scamna latent; perlege, ſcribe, ſede.
Dum ſcribis, ſileo; non ſint mea verba moleſta,
Quæ legis attentè, ſcribere & impediant.
Scripſiſti ſatìs: hic non te labor improbus angat;
Hinc non diſcedes, dem niſi ſcripta tibi.
Surge igitur: Faciem extollas iterùm; En tibi Vinctus,
Confuſus, victus, territus, at rabidus:
Architrabem dorſo, ſculptam tenet Alitem, at ægrè:
(Hæreticorum iſtæ Symbola ſunt Volucres.)
Hæreticum, Volucrem, poſt mente Inſcripta reuolue:
(Alitum & hæc Volucrum Littera ſacra tulit.)
Confer vtrumque ſimùl, clarè tibi ſìcque patebit,
Alter ad alterutrum quàm benè conueniat.
Tandem Expugnator ſupereſt, cùm laude triumphans,
Semper & in promptu, ritè patrata ſequi.
Impleo promiſſa: inſupèr & tibi Diſticha trado:
Infraſcripta leges, omnia percipies.

Inscriptum I. Hæretici.

Gulielmus de Sancto Amore, contrà quem, suosque fautores, in publico Consistorio, prò statu Regularium, disputauit, & fatigatum, exulem, ac exautoratum triumphauit, Magistri Magistrorum Magister Beatus Albertus Magnus, Episcopus Ratisbonensis, in Concilio generali Lugdunensi II. Confessor & Disputator, Scriptor & Doctor Cælitus datus Anno 1257.

Symbolum

Cygnus rostro cutem scalpens, & nigricantem detegens.

EPIGRAPHE.

Cutis mea denigrata est. *Iob.* 30.

Aliti & Hæretico.

Candicat in pennis, nigrescit sed cute Cygnus;
Fustibus ater fit sed Gulielmus item.

Expugnatori

Albertum verè Magnum quis deneget vnquàm?
Qui Cherubin docuit, Luciferumque fugat;
Omnes, Hæretico vno, profligauit alumnos:
Immensus Scriptor, Regula Concilij.

In-

Inscriptum II. Hæretici.

Moyses Gerundensis, Barcinone, Hebræorum Rabbinus, Victor videri superbè in Congressibus ambiens, vnà cum Bonastruch à Porta, coràm Iacobo Rege, Principibusque Regni, à Magistro Paulo Christiano, disceptando de veritate Fidei Catholicæ ità compediti, ùt tunc obmutescere fuerint constricti, nec loqui imposterùm ausi. Anno 1263.

Symbolum.

Pauo, caudà expansà, vario pennarũ fulgore conspicuus.

EPIGRAPHE.

Si fortè aspiciant. *Ezech. 12.*

Aliti & Hæretico.

Turgidus incedit Pauo, cupidusque videri;
Moses Pauo venit, posteà mutus abit.

Expugnatori.

Alma Fides Christi si à Paulo vera probata;
Verè ergò Paulus Christifidelis erit.

In-

Inscriptum III. Hæretici.

Ioannes VVitcleph, sola Ecclesiæ turbatione iubilans; cuius errores, in Synodo Cantuariensi, Londini in Anglia, mandante Gregorio XI. in Conuentu Fratrum Prædicatorum habita, ab eisdem Hæreticales conuicti, & in Concilio Constantiensi à Magistro Petro de Ripatransone, Archiepiscopo Corinthiensi, Patrum iussu, iterùm confutati, damnati sunt. Anno 1415.

Symbolum.

Fulica, Cælum an turbetur lætabunda aspiciens.

EPIGRAPHE.

Exultabit, si motum fuerit. *Psalm. 12.*

Aliti & Hæretico.

Læta procelloso Fulica, Æthere mæsta sereno;
Flente Petro, VVitcleph sic quoque gaudet ouans.

Expugnatori.

Quod ligat in terris Almus Petrus, & ligat Æther;
Quæ Petrus hic reijcit, Concilium & reprobat.

In-

Inscriptum IV. Hæretici.

Martinus Lutherus, cuius nonaginta quinque Theses, in publica Francfordiæ ad Oderam Disputatione, à Magistro Ioanne Tetzelio, sex suprà centum contrà editis Conclusionibus, vtì à Fide deuiæ conuictæ, & per Carnificis manus, in publico Foro, in Cineres redactæ, ipso aufugiente, Solo æquatæ remanserunt. Anno 1517.

Symbolum.

Pica humum fodiens, quid inuentũ sepeliens, & auolans.

EPIGRAPHE.

Abiens fodit in terram. *Matth. 25.*

Aliti & Hæretico.

Pica abiens, occulta fodit, quodque inuenit, abdit;
Et Luther in terram mnam fodit, abdit, abit.

Expugnatori.

Non capit etsì concludat Tetzelius hostem;
Conclusus Piscis sæpè ità rete fugit.

In-

Inscriptum V. Hæretici.

Philippus Melanchthon, in firmandis suis antidogmatibus, inconstantissimus, & præsertim in profundissimo nostræ Iustificationis pelago adeò fluctuans, ùt quater deciès varius, à Magistro Thoma Rhadino, & Lypsiæ & Romæ, tandiù confusus atque agitatus fuerit, donec ad vltimum submersus. Anno 1522.

Symbolum.

Mergus in submersionem ruens.

EPIGRAPHE.

Fluctuat, & vacillat. Is. 29.

Aliti & Hæretico.

Mergit, & emergit, vacillat denique Mergus;
Melanchthon tandem lapsus & ipse ruit.

Expugnatori.

Et quantò, Rhadine, magis tua præda sequuta,
Deniquè adepta tamen, carior efficitur.

In-

Inscriptum VI. Hæretici.

Desiderius Erasmus Roterodamus, cuius infidos Libros typis editos, de Confessione, de Ritibus Baptismi, ac de carnium esu, Magister Gualterius Grauius, cognomento Ruisius, Nouiomagensis Prior, ad infimum ità depressit, ùt se, suamque falsam Doctrinam, licèt multotiès enixus, vlteriùs extollere nequaquàm potuerit. Anno 1525.

Symbolum.

Struthocamelus, nec alis se extollere valens.

EPIGRAPHE.

Non eleuabitur vltrà. *Ezech. 29.*

Aliti & Hæretico.

Struthocamelus nèc pennis tolletur in altum;
Frustrà, vt se extollat, quærit Erasmus opem.

Expugnatori.

Tàm grauitèr Grauius, sed iure, grauauit Erasmum;
Infidus stratus surgere non valeat.

Inscriptum VII. Hæretici.

Sebastianus Polonus, Lutherico veneno imbutus imbutor, publicè concertando, eneruatus à Magistro Cornelio de Snekis Frisio, Prouinciali Saxoniæ, Franciæ, Poloniæ, Hollandiæque Vicario generali; qui & ipsum Lutherum pluriès expugnauerat; & nè propinatum obesset, Defensorium Ecclesiasticorum præstitit. Anno 1531.

Symbolum.

Ciconia, nido anguibus referto, & Platano præseruato, pullos alens.

EPIGRAPHE.

Etsì mortiferum, non nocebit. *Marc. 16.*

Aliti & Hæretico.

Sic Platano, nidum infectum angue, Ciconia munit;
Antidotus viro statque, Sebaste, tuo.

Expugnatori.

Magnum! Corneli, dirum prostrasse inimicum;
Sed seruasse Tuos, maxima gloria erit.

In-

Inscriptum VIII. Hæretici.

Ioannes Bugenhagius Pomeranus, cuius maledicta, mendacia, & odiosas calumnias, in suo Libro aduersùs fures Calicis inscripto, insipienter contrà Catholicos euulgatas, sapientissimè refellit Magister Michael de Veho, Præpositus Halensis Ecclesiæ in Saxonia, & Consiliarius Cardinalis Archiepiscopi Moguntini. Anno 1532.

Symbolum.

Psittacus ignorantèr loquax.

EPIGRAPHE.

Absquè scientia, verba multiplicat. *Iob.* 35.

Aliti & Hæretico.

Promit quæ ignorat nugax & Psittacus amens;
Vana ità multiplicat verba Bugenhagius.

Expugnatori.

Verba, dolos, mendacia, promat & Inscius artes:
Cunctorum vindex solus erit Michael.

Inscriptum IX. Hæretici.

Petrus Pomponatius, in Concilio Lateranensi V. à Leone X. cum alijs suæ farinæ damnatus, & à Magistro Bartholomæo Spina Pisano, Sacri Palatij Magistro, Concilij Tridentini Theologo, rebusque Fidei à Paulo III. præfecto, expugnatus: editâ in præclarissimis suis Voluminibus, Tutelâ Veritatis, contrà ipsum, Cui addidit Flagellum de Animæ immortalitate. Anno 1535.

Symbolum.

Coruus ad cadauera Hominis, & Asini volans.

EPIGRAPHE.

Vbicumquè cadauer adest. *Iob.39.*

Aliti & Hæretico.

Coruus vbiquè notat, volet hùc illùcue, Cadauer;
Mortalem hinc Animam prænotat atquè Petrus.

Expugnatori.

Mortifera irruit exanimis sed Turba Gigantum:
Hos ad sternendos, vnica Spina satis.

Inscriptum X. Hæretici.

Hulricus Zvvinglius, quem vnà cum Luthero, & Oecolampadio, Berengaris, vero Christi Corpore & Sanguine in Eucharistia Fideles nòn pasci: Bonaque opera nòn eis necessaria docentes, repressit Magister Hieronymus Monopolitanus, publicus in Vniuersitate Neapolitana & Patauina Theologus, Archiepiscopus Tarentinus, huius Conuentus Filius Anno 1539.

Symbolum.

Pelicanus rostro sanguinem è pectore fundens, pullis glutientibus.

EPIGRAPHE.

Cui ergò similem fecistis Deum? *Is.40.*

Aliti & Hæretico.

Vt Pelicanus amans, Christus nos sanguine pascit;
Hìc videt Hulricus, quod negat ipse Deo.

Expugnatori

Triplex expugnat dum Monstrum Hieronymus vltor,
A' Cane Dominici Cerberus ictus abit.

Inscriptum XI. Hæretici.

Bernardinus Ochinus, Lutheri clàm & noctù à secretioribus dilectissimus, quorum, aliorumq; Hęreticorum arcanos errores detexit, vnàque destruxit Magister Ambrosius Catarinus Politus Senensis, in Concilio Tridentino Orator, & Concionator, Archiepiscopus Compsanus, & Cardinalis in pectore Iulij III. præmortuus, Lutheri Antagonista, viuens dictus. Anno 1547.

Symbolum.

Bubo in cespitis foramine latens.

EPIGRAPHE

Odit lucem. *Ioan. 3.*

Aliti, & Hæretico.

Tristis amat densas, lucem osus, Bubo tenebras;
Ochino arcanis nox placet apta suis.

Expugnatori.

Purpureus nì Mundi, Cœli Cardo Politus,
Cœlum, qui in Papæ corde sepultus, adit.

In-

Inſcriptum XII. Hæretici.

Thomas Crammerus Cantuarienſis, vnà cum Petro Martyre Vermilio, incruenti Miſſæ Sacrificij cultus ſacrilegi deſtructores, quorum abſumpta impietas, ardentiſſimo zelo inſignis Magiſtri Bartholomæi Carranza Archiepiſcopi Toletani, Catholicæ Religionis in Anglia, ſub Regina Maria, Reparatoris, & Reſtitutoris. Anno 1554.

Symbolum.

Hydra, quæ igni tradita comburitur.

EPIGRAPHE.

In ira flammæ. *Eccl. 36.*

Aliti & Hæretico.

Nòn clauà aùt ferro, ſolo Hydra extinguitur igne;
Alter Hydrus Thomas, vritur igne pari.

Expugnatori.

Innumeros hoſtes hìc dùm Carranza triumphat,
In Cœlo qualis, Chriſte, triumphus erit?

In-

Inscriptum XIII. Hæretici.

Iustus Velsius, resonantis famæ, Coloniæ, Hæreticus, à Magistro Ioanne Slotano Geffensi ibidem Inquisitore conclusus, suis in eum demonstratiuis disputationibus, & scriptis de vera Catholica Fide retinenda, de Baptismo, Ieiunio, Diuinà Incarnatione, & Virtute, nostràque à Christo Redemptione, ac de insuperabili Ecclesiæ Potentia. Anno 1555.

Symbolum.

Falco, è cuius cruribus excepta catenulis tintinabula pendent.

EPIGRAPHE.

Perit cum sonitu. *Psalm. 9.*

Aliti & Hæretico.

Sit sonitus gratus: Falconi sæpè molestus;
Velsius ingratus cum sonitu perijt.

Expugnatori.

Firmans Ioannes Petrum, insuperabilis hostem
Par superat Superis, insuperabilitèr.

Inscriptum XIV. Hæretici.

Guillelmus de Skiafusa Heluetius, vaferrimus Caluini, & Zvvinglij hæresum prædicans Accensor, extinctus à Magistro Matthæo Oryo Inquisitore generali in Gallia, qui eum ad hominem arguens, scripsit Alexipharmacon, septem Scholas aduersùs eorum hæreses, de Peccato originali, de sacris Imaginibus, pluraque alia Opera. Anno 1556.

Symbolum.

Phœnix, qui succenso, & à se parato rogo vritur.

EPIGRAPHE.

In flammis, quas succendit. *Is.* 50.

Aliti & Hæretico.

Quas parat in flammas Phœnix ruit vnicus, ardet;
Mors ea Guillelmo, quam parat ipse sibi.

Expugnatori.

Multiplicans Opera, Hostes ad nihilum vsquè reducit:
Accelerant ictus? promptior est Oryus.

Inſcriptum XV. Hæretici.

Ludouicus de Noriberga, facundus, àt ferox Caluiniſtarum Anteſignanus, in publica inibì indicta concertatione de venerabili Sacramento Altaris, dèque alijs Catholicæ Fidei Myſterijs, cum Suorum confuſione, deriſu, & conuerſione, malè ab ijſdem tractatus, quia ad turpem vſquè fugam laceſſitus à Magiſtro Ioanne Priore Noribergenſi. Anno 1556.

Symbolum.

Grus ab incolatu æſtiuo auolans.

EPIGRAPHE

Deſerit in tempore malo. 2. *Mac.* 1.

Aliti, & Hæretico.

Grus fugit à rigido, tùnc vſquè perutile Cœlo;
Conuictus, longè sìc Lodoicus abeſt.

Expugnatori.

Vel tua Plebs clamans. Inuictus Victorque Ioannes!
Deriſus, ſolus, iàm fuge, cede locum.

In-

Inſcriptum XVI. Hæretici.

Ioannes Brentius, cuius Prolegomena, lethiferam VVirtembergenſem Confeſſionem, pluresque alias hæreſes, Dilingæ, primus euertit Magiſter Petrus de Soto, Caroli V. Confeſſarius, in Concilio Tridentino Princeps Theologorum habitus, Vniuerſitatis Salmãticenſis Cathedraticus Veſpertinus, Primariuſque Cantabricenſis, à quà Bucerum, & Vermilium depulit. Anno 1557.

Symbolum.

Baſiliſcus, obuiam Auem halitu, & viſu enecans.

EPIGRAPHE.

Antè faciem eius Mors. *Hab.* 3.

Aliti & Hæretico.

Enecat infeſtus Baſiliſcus lumine, & ore;
Brentius occidit, ſacrilega ore loquens.

Expugnatori.

En' Princeps veræ Sapientiæ! Abite doloſi,
Petrus de Soto! Nomen habere ſatis.

Inſcriptum XVII. Hæretici.

Doctor Lircera Gallus, de Chriſti Domini, eiuſque Sacratiſſimæ Matris Virginitate, apùd Hamùr, ſpectante innumerabilis mixti Populi multitudine, in ſprincipaliori Platea impiè diſputans, à Magiſtro Petro Specchio adeò perterrefactus, vt repentè corruens in terram, cum loquela vitam amiſerit, intolerabili fœtore relicto. Anno 1557.

Symbolum.

Cacauis, cum Aue ſibi occurrente, vt fimum eliciat, dimicans.

EPIGRAPHE.

Gloria eius ſtercus. 1. *Mac.* 11.

Aliti & Hæretico.

Immundæ Cacaui, pòſt pugnam, gloria ſtercus;
Lirceræ Gallo fœtidus extat odor.

Expugnatori.

Impie! te Petrus icit: victus adhùcque reſiſtis?
Territus, elinguis, quìn putrefactus obi.

Inscriptum XVIII. Hæretici.

Constantinus Fontanus Canonicus Hispalensis, cum Ægidio eius socio, ex Oppido Sancti Clementis Conchensis apùd Hispanos, hæresis Lutheranæ clandestini, & subdoli disseminatores, à Magistro Ioanne Ochoa detecti, palàmque conuicti; sed nihilominùs magìs adhùc pertinaces, carcere, & morte deniquè plexi. Anno 1558.

Symbolum.

Phasianus, capite inuerso & latente, sed corpore Aucupi exposito.

EPIGRAPHE.

Et non abscondetur. *Soph. 3.*

Aliti & Hæretico.

Se putat inuisum, haùd cernens, Auis incola Phasis.
Fontanus tectus creditur, àt capitur.

Expugnatori.

Subdoli & ignoti vt fures, clàm incedite tecti;
Centioculus vigilans Ochoa Centimanus.

Inscriptum XIX. Hæretici.

Ioannes Caluinus, contrà quem, Lutherum, Zvvinglium & sequaces, Magister Stephanus Paris Aurelianensis Gallus, Episcopus Abellonensis, typis tradens prolixam Expositionem supèr illud Ioannis 1. Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis: ab ipsius perniciali secta & Doctrina, quamplures dolo irretitos asseclas auertit. Anno 1561.

Symbolum.

Anas socias irretiens.

EPIGRAPHE.

Ducit ad perditionem. *Matt.7.*

Aliti & Hæretico.

Capta capit socias Anas vno callida rete;
Astu èt Caluinus rete trahit socios.

Expugnatori.

Egreditur cùm retibus auceps omnis Auernus;
Sèd Paris occurrit, retè Suos retrahit.

In-

Inſcriptum XX. Hæretici.

Anna Burgius Pariſienſis Senator, audax, & potens opere, & factione Caluiniſtarum Antiſtes arrogantiſſimus: à Senatu tamèn Lugdunenſi, ex Regio Decreto, ùt Hæreticus igni traditus, & à Magiſtro Fæliciano Ninguarda, in Concilio Tridentino Procuratore, Oratore, & Theologo, Comenſi Epiſcopo, in ſua Aſſertione, & Defenſione Catholicæ Fidei profligatus. Anno 1564.

Symbolum.

Pauogallus tumidus incedens.

EPIGRAPHE.

Intumeſcit ſuperbià. *Deut.* 17.

Aliti & Hæretico.

Stat grauis, audax Pauogallus, perqueſuperbus:
Eſto ſuperbus, atrox, turgidus Anna cadet.

Expugnatori.

O Fælix! Si Fæliciano crederet Anna;
A'bino exiret ſupplicio ignifero.

In-

Inſcriptum XXI. Hæretici.

Matthæus Gribaldus Italus, cuius venenifera Commenta proſcribens Magiſter Adrianus Valenticus Venetus Inquiſitor, quadragenarius Vniuerſitatis Patauinæ Metaphyſicus & Theologus, Epiſcopus Iuſtinopolitanus, Concilij Tridentini Conſeſſor, & contrà Caluinum Euchariſticus Scriptor, ea manifeſtiſſimæ falſitatis apertè conuicit: & præueniens in ridiculas fabellas conuertit. Anno 1565.

Symbolum.

Draco, ab Aue præuiſus, moriens.

EPIGRAPHE.

Ad illudendum ei. *Pſalm.* 103.

Aliti & Hæretico.

Aſpice tu prior, hàc illudes arte Draconi;
Sìc præuentus obis dire Gribalde Draco.

Expugnatori

Abſquè ioco Commenta Gribaldi Adrianus inurit;
Falſa ſed euincens, ridicula indè patent.

In-

Inſcriptum XXII. Hæretici.

Aloyſius de Nouiomago, Hugonottorum, ex Carolo Molinæo Doctor, Chriſti Domini præſentiam in Sacramento negans: ipſum in Vtero Virginis Matris conceptum, eoque clauſo natum, incredibile docens; Sed à Magiſtro Petro Diuole, publicè diſputando, vſquè ad muteſcendum redactus, ſuoſmet Sectarios, Catholicos mœrens effecit. Anno 1567.

Symbolum.

Vultur, Euro flante, glutiens.

EPIGRAPHE.

Eccè Virgo concipiet. *Iſ.7.*

Aliti & Hæretico.

Concipit, immiſſo ſolo ſpiramine, Vultur;
Flatu, Aloyſi, Almo, fit quoquè Virgo parens.

Expugnatori.

A' Petro victus, mutet Seductor iniquus;
Impie! iàm credas, clamitat àt Populus.

Inscriptum XXIII. Hæretici.

Memno Simonis Frisius, Anabaptista, in quem, ad præseuandos Catholicos, Magister Ioannes Bunderius de Gandauo scripsit de Baptismo, Collationeque quatuor Ecclesiæ Doctorum: & in Lutherum Oeccolampadium, Anastasium, aliosque hæreticos, de nugarum, Lutherique dogmatum Confutatione, de Orthodoxa Fide, eorumque Theologicis Controuersijs. Anno 1574.

Symbolum.

Miluius, pullis, quærens quem voret, superuolans

EPIGRAPHE.

Vt interficiat innocentem. *Ps. 9.*

Aliti & Hæretico.

Circuit, & quærit rapiat quem, Miluius auceps;
Sìc facit: àt cassus Memnonis astus erit.

Expugnatori.

[illegible]ismum, atquè Fidem, Doctores vertere Memno
[illegible]atur: firmat singula Bunderius.

In-

Inscriptum XXIV. Haeretici.

Theodorus Beza Burgundus, propè Montem Pessulanum, à Magistro Sebastiano Michaelis Inquisitore Auenionensi voce, & calamo redargutus, & victus: àt in cassum, nàm pertinax; sed ipsis Hæreticis victoriam nòn denegantibus, & Catholicam Fidem vicissìm profitentibus, nèc mutire in futurum est ausus. Anno 1601.

Symbolum.

Gallus turbatus in Speculo.

EPIGRAPHE.

Sed & frustrà conturbatur. *Ps. 38.*

Aliti & Haeretico.

In Speculo turbetur Gallus, permanet idem;
Beza & confusus non trahit indè pedem.

Expugnatori.

Arguit, & pugnat, vincit Michaelis alumnus:
Beza inflexibilis, Lucifer vtquè, cadit.

Inſcriptum XXV. Hæretici.

Georgius Bingamus Anglus, Conaciæ Præſes, in Hybernia, Catholicorum ferus perſecutor, retuſus, ad necem vſquè ſibi prædictam à Magiſtro Thaddæo ò Duano, quem quondàm à ſuis militibus Caſtri Bureis Dolenſis præſidiarijs compræhenſum, ſed omnes ad vnum, ab eo priſtinæ ſuæ libertati reſtituto, conuerſos, ægrè vidit. Anno 1608.

Symbolum.

Accipiter, ſolutis laqueolis, liber auolans.

EPIGRAPHE.

In laqueo ſuo humiliauit eum. *Pſalm. 9.*

Aliti, & Hæretico.

Liber it Accipiter, lætus volat: Aucupe mœſto;
Bingame cùr ploras? Libera præda fugit.

Expugnatori.

Captus nòn capitur, captos Thaddæus àt egit
Captores: liber liberat indè Suos.

In-

Inscriptum XXVI. Hæretici.

Isaac Genius, vnà cum Clemente Besio, & alijs Caluinianæ Sectæ, in Colloquio & Disputatione apùd Francofurtum habita, supèr Articulum de bonis Operibus ad promerendam Vitam æternam necessariò requisitis, superati & conterriti à Magistro Cosma Morelles Regente & Generali Inquisitore Coloniensi. Anno 1609.

Symbolum.

Bistarda, stet àn volet anceps, à Cane præhensa.

EPIGRAPHE.

Marcet ignauià. *Ios.* 18.

Aliti & Hæretico.

Præda Canis Bistarda cadit, quià pigra volatu;
Sìc ignauus obit, non benè agens Genius.

Expugnatori.

Vt superet, benè si Cosmæ pugnasse necessum;
Ergò bonorum Operum vim inscius indè sciat.

In-

Inſcriptum XXVII. Hæretici.

Philippus Mornæus, à Magiſtro Nicolao Couffeteau, Henrici IV. & Ludouici XIII. Eccleſiaſte, & Epiſcopo Maſſilienſi, donèc deliteſceret, inſecutus: dùm à Clero Pariſienſi & Gallicano delectus, impium eius Librum, Myſterium iniquitatis, iactantèr prænotatum, ex commiſſione Pauli V. retudit, & fraudis, doli, ac mendacij conuicit. Anno 1623.

Symbolum.

Cuculus, ſùb frondibus latens, aliâ Aue eius fouente oua, cui abſenti ipſe ſubiecit.

EPIGRAPHE.

Operuit confuſio faciem meam. *Pſ. 68.*

Aliti & Hæretico.

Mutatis ouis, Cuculus ſùb fronde recedit;
Fraudis conuictus ſtulte Philippe, lates.

Expugnatori

Prænotet iniuſtè Librum, ſe iactet iniquus;
Ad retrudendum, Nicoleus properat.

Inscriptum XXVIII. Hæretici.

Antonius Legerus, Caluinistarum, ex Andrea Carolstadio Pastor & Prædicans, apùd Peram de Constantinopoli, in Curia Oratoris Hollandensium, à Magistro Æmilio Poncello, de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, cum Berengario malè sentiens, vsquè ad promissam abiurationem, palàm disputando conuictus: à qua posteà recedens, oculis repentè captus, Anno 1635.

Symbolum.

Haliæetus, Soli fœtus exponens, & illi conniuentem, præcipitem perdens.

EPIGRAPHE.

Dignus carere luce. *Sap.* 18.

Aliti & Hæretico.

Soli conniuentem luce Haliæetus orbat;
Legerus nolens, lumine sìc careat.

Expugnatori.

Lumen, ùt aspicias, tibi nùnc Æmilius offert;
Spondes & renuis? Lumine cassus abi.

Lu-

Lustrasti Hæreticos; circùm nùnc lumina volue:
Has doctè sculptas inspice & Effigies.
Thomæ Hi Discipuli, Terrarum Orbisque Magistri,
Patres, Tutores, Concilij, Fidei;
His Synodus Sancta imponens, grauiora resignat
Munia, & implentes, quæ expediant referunt;
Orat Is, Ille studet, definit, prædicat Alter,
Disputat Iste frequens, discutit Hic alia:
Inuenit, indè struit, discit, iàm præparat Idem,
Mane & præcurrit, vespere quod repetit:
Digerit Vnus idem, quod clariùs exprimit Alter,
Sic hodie complens, quæ enucleauit heri:
Approbat hæc Paulus, Petrus hæc alia improbat, aptè
Omnibus & facti, singula perficiunt;
Hi calamo sudant, incumbunt, voce laborant:
Plaudunt, confirmant Concilijque Patres;
Mortuus & Thomas vèl cunctis consulit vnus,
Cuius suprà Aram, Summa sit indè volunt.
Verùm, Concilium si in Conciliabula versum
Conspiciunt, omnes vnanimes abeunt.

Elogia hìnc videas, Horum deprompta trophæis,
  Et ſanè meritis longiùs imparia.
Mens anguſta mihi, ſitus eſt anguſtior; ergò
  Debita prolixè promere non potui;
Te tamèn optantem luſtrandi ſingula cerno,
  Quìn perpendendi, quod magis atquè refert;
Altiùs hìnc diſtant, oculus cum mente fatigat:
  Hìc deſcripta tenes, abſquè labore lege.



I.

Sanctiſſimus Ordinis Prædicatorum Patriarcha, Dominicus Guſmanus, Expugnationi, & Conuerſioni Hæreticorum, Diſputationibus, & Scriptis, totus addictus: in Concilio Lateranenſi IV. coràm Innocentio III. Orator, & errorum Abbatis Ioachim, & Almerici Confutator. Obijt primus Apoſtolicus Inquiſitor, & Sacri Palatij Magiſter Anno 1221.

Eidem

Hìc Pater Heroum tot, tantorumque triumphat
Dominicus Sanctus, queis prior ipſe fuit:
Scriptor proficuus, Fidei Fax omnibus vna,
Dux verbi in Synodis, Hæreſicida pius.

II.

Magiſter Hugo de Sancto Charo, in Concilio Lugdunenſi I. Petri de Vineis Capuani, contrà Innocentium IV. prò Friderico Imperatore depoſito, ſcribentis, Impugnator: totius Bibliæ ſacræ primus Compilator, eiuſdemque Concordantiarum Inuentor. Obijt primus Cardinalis Ordinis Prædicatorum ibidèm creatus, & ſacro rubro Galero donatus Anno 1262.

Eidem

Hugo pſeudo-Petrum quià Petri à Vinea abegit,
Per Petrum, Princeps Vineæ adeſt Domini.

III.

Magister Petrus de Tarantasia, Scriptor Ecclesiasticus, in Concilio Lugdunensi II. sùb Gregorio X. pluriès Orator, & pòst disputationem contrà Doctores Gręcos, de Processione Spiritus Sancti, & à Filio, ibidèm Cardinalis creatus, vbi Abagam Regis Tartarorum Oratorem baptizauit. Obijt Summus Pontifex Innocentius V. Anno 1276.

Eidem

Purpura, Mitra, Triregnum, Petri præmium, àt impar:
Non sunt hìc meritis præmia digna suis.

IV.

Magister Berengarius Rhodes Tolosanus, Vicarius, indè Generalis Ordinis, ad Concilium Viennense, à Clemente V. vocatus, cùm alijs èx suis suprà quadraginta: quorum voto Beguardi, & Beguinæ damnati sunt. Primus Exgeneralis Infulatus. Obijt Archiepiscopus Compostellanus Anno 1325.

Eidem

Millia in octo, Sui, solus Dux, octoque quini,
Victor abit pugnans indè Berengarius.

V.

Magiſter Raymundus dè Ponce, Commiſſarius Clementis V. contrà Templarios, qui in Proceſſu, à ſe formato, & ad Concilium Viennenſe lato, & lecto, Rei plurium grauiſſimorum criminum, hæreſum, ac proditionum reperti, damnati & extirpati ſunt. Obijt Archiepiſcopus Valentinus Anno 1312.

Eidem

Monſtra quià hìc Templaria deſtruxit Raymundus,
Aras in Cœlo, Templa ſacra & meruit.

V I.

Magiſter Thomas de Firmo, Generalis totius Ordinis, priùs ob Eccleſiæ Schiſma diuiſi, Vtini electus, ab Alexandro V. in Concilio Piſano Præfectus: vbi cùm Magiſtro Ardizono de Padua, huius Prouinciæ Generali Vicario, & alijs, prò Illius electione, Eccleſiæ vnione, & Schiſmatis extinctione, plurimùm inſudauit. Obijt Anno 1414.

Eidem

Schìſmatis extinctor Thomas inſpicitur, vndè
In noſtra ſplendet Relligione Iubar.

VII.

Magiſter Iacobus Arigonius, à Bonifacio IX. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter aſſumptus: in Concilio Piſano, & Conſtantienſi, vbi contrà Hieronymum de Praga Hæreſiarcham perorauit, tantam apùd illos Patres exiſtimationem adeptus, ùt ipſius ſententia, pro Oraculo à cunctis haberetur. Obijt Epiſcopus Vrbinas Anno 1434.

Eidem

Vìx Iacobus contrà Pragenſem Hæreſiarcham
Orat, & Oraclum Concilij eccè micat.

VIII.

Magiſter Ioannes Capreolus, in quatuor Libros Sententiarum acutiſſimus Scriptor, potentiſſimus Doctrinæ Diui Thomæ Defenſor, & adeò egregius Commentator, ùt Princeps Thomiſtarum meruerit appellari: iuſſu Eugenij IV. in Concilio Baſileenſi, cùm Alphonſo Toſtato, & Boemorum Oratoribus, inuincibilis, frequentibus Diſputationibus, Decertator. Obijt Anno 1431.

Eidem

Scriptores celebres Toſtatus prominet intèr:
Decertans maior Tu inclyte Capreole.

IX.

Magiſter Antonius Corrarius, Gregorij XII. Pronepos, huius Conuentus beneficentiſſimus Filius, & Eccleſiæ, quam pretioſis Donarijs ditauit, Conſecrator: in Concilijs Piſano, & Conſtantienſi Conſeſſor, & Orator. Obijt Comes & Epiſcopus Cenetenſis à Patruo inſtitutus, ab Alexandro V. deſtitutus, ac reſtitutus, & à Ioanne XXIII. confirmatus Anno 1445.

Eidem

Sint pretioſa ampla, Antoni, tua munera: nobis
Te donaſſe ipſum, cætera dona præit.

X.

Magiſter Nicolaus Iacquerius Inſulanus, Hæreticorum præſertìm VValdenſium, & Ioannis Huſſ infenſiſſimus hoſtis, contrà quem, in Concilio Conſtantienſi, publicam Diſputationem, & Orationem typis poſteà editam habuit, ipſumque impium Hæreſiarcham, in eodem Concilio, tortoreo igne conſumptum aſpexit. Obijt Anno 1440.

Eidem

Concilium flammas, Iacqueri, dùm parat ignes,
Fit tibi feſta dies, funebris Hæreticis.

XI.

XI.

Magiſter Thomas Thomaſſinus , fulgentiſſimus huius Conuentus Filius , in Concilio Conſtantienſi Confeſſor, & Concionator : pòſt Epiſcopatus Eumonienſem, Poléſem, Vrbinatem, Tragurienſem, Maceratenſem, & Recinetenſem, obijt Epiſcopus Feltrenſis, & Bellunenſis Anno 1444.

Eidem

Thomaſſinus adeſt; certatìm currite Mitræ;
Summus Honor! tantum vèl tetigiſſe Caput.

XII.

Magiſter Leonardus de Dattis, in Concilio Conſtantienſi , Florentinus Orator , & Martini V. electus Elector , à quo ad Concilium Papienſe, & Senenſe , prò extirpatione Schiſmatis , & Hæreſum , Morumque reformatione , vnus è quatuor Præſidentibus præmiſſus, Cardinalis abſens fuit pronunciatus , eodem menſe , quo obijt Magiſter Generalis Anno 1426.

Eidem

Theſaurus pretioſus nobis eſt Leonardus :
Nèc Sacra, de Dattis , Purpura ſubripiet ,

XIII.

Magiſter Ioannes Stoicus, alter è duobus Præſidentibus ab Eugenio IV. ad Concilium Baſileenſe auſpicandum miſſis, in quo prò Pontificum Authoritate, & de Communione sùb vtraque ſpecie contrà Huſſitas perorauit, & ſcripſit: Ioannem à Rokezena perfidum Hæreticum, octiduò, publicè diſputando, deuictum, ſummà confuſione perfudit. Obijt Cardinalis Anno 1440.

Eidem

Plauſibus effulgens, ornatus vbiquè trophæis;
Sèd de ſe hìc dici vult ſtoicè Stoicus.

XIV.

Magiſter Henricus Kaltyſen, Vlderici Hæreſiarchæ, de libera prædicatione Verbi Dei, triduò, diſceptando, Expugnator, in publico, ſub Eugenio IV. Baſileenſi Concilio, à quo in execrabile Conciliabulum verſo, cùm omnibus ſui Ordinis Aſſeclis, aliorum multis remanentibus, receſſit. Obijt Archiepiſcopus Nidroſienſis, & Cæſarienſis Anno 1465.

Eidem

Concilium ſequitur, ſed Conciliabula linquit:
Liber it Henricus, liber & antè loquens.

XV.

Magiſter Thomas de Vio Caietanus, Diuinæ voluntatis Interpretis Interpres, pòſt quem in ſcientijs nemini ſecundus, formidabilis Hæreſiomaſtix, qui in Concilio Lateranenſi V. Orationem iuſſu Iulij II. & Patrum, Actis appoſitam habuit. Opuſculum ſaluberrimum edidit, & cùm Leone X. principaliora negotia peregit. Obijt Cardinalis Anno 1534.

Eidem

Sìc Doctrina nitet non deuia de Vio Thomæ,
Purpura ùt èx merito ſplendeat ipſa ſuo.

XVI.

Magiſter Andreas Rhodius Gręcus, in Concilio Baſileenſi, Ferrarienſi, & Florentino, sùb Eugenio IV. cùm Imperatore, & Patriarcha Conſtantinopolitano præſente, Orator: & cùm Marco Archiepiſcopo Epheſino, de Proceſſione Spiritus Sancti & à Filio, per octo Seſſiones Diſputator, & Triumphator. Obijt Archiepiſcopus Coloſenſis Anno 1446.

Eidem

De, à Verboque, Andreas, Pneaumate diſputat Almo:
Spiritus, àt Verbum, ſpirat, & eloquitur.

XVII.

Magiſter Ioannes dè Monte Nigro Italus, qui in Concilio Ferrarienſi, & Florentino, àd diſputandum cùm Græcis, à Patribus ſelectus, Ioſepho Conſtantinopolitano Patriarchæ Beſſarioni, verbum, Filioque, rectè fuiſſe Symbolo appoſitum, demonſtratiuè ſuaſit: & eo conuicto, Grecæ cum Latina Eccleſia vnioni, manum vltimam dedit. Obijt Anno 1448.

Eidem

Græca Eccleſia, Romana à Ioanne fit vna,
Dùm vnus Spirator fit, Pater, & Genitus.

XVIII.

Magiſter Ioannes de Turrecremata, Reuelationum Sanctæ Brigittæ Recognitor & Commentator, celebris in Concilijs, præcipuè Florentino, in quo Defenſoris Fidei titulo inſignitus à Patribus, ab Eugenio IV. & Pio II. ſupèr eius Decreta, in Huſſitas, Boemos, & Felicem Antipapam, multotiès excellentiſſimè ſcripſit. Obijt Cardinalis Anno 1468.

Eidem

Defenſor Fidei, titulo: re, Cardo Ioannes;
Quid melius? Titulus? Res? àn vtrumque ſimùl?

XIX.

Magiſter Bartholomæus Lapatius de Vbertinis, Dux Verbi ab Eugenio IV. appellatus, in Concilio Tridentino, contrà Græcos Schiſmaticos, quos èx mœrore ad mortem vſquè reduxit, glorioſus Diſputator, & Scriptor: Venetijs, iuſſu Nicolai V. ab Excellentiſſimo Senatu adiutus, Fraticellorum Hæreticorum repullulantium Extirpator, Epiſcopus Coronenſis. Obijt Anno 1466.

Eidem

Diſputet, extirpet, ſcribat, Lapatius oret.
Dux Verbi reſonans vndiquè, ſemper erit.

XX.

Magiſter Bartholomæus Rondaninus, Conciliabuli Piſani sùb Iulio II. Euerſor, & Diſſolutor: dùm nòn ſolùm aſſenſum pro ſuo Ordine, èx quo Aliorum pendebat, viriliter negauit, verùm etiàm Eccleſiæ, & Conuentus Fores Refractarijs in faciem clauſit. Obijt Anno 1519.

Eidem

Bartholomæus Piſis Conciliabula vertit;
Concilium firmans, nòn meruiſſet ità.

XXI.

Magiſter Sylueſter de Prierio, Conciliabuli Mediolanenſis, ex Piſano coacti, omnimodo conatu Debellator: & primus contrà Lutherum, ab eo vtì Sacri Palatij Magiſtro, iuſſu Leonis X. citatum, damnatum, ac in Statua igni, cum ſuis libris adiudicatum, deque hoc maximè dolentem, ſemèl & iterùm Scriptor. Obijt Legatus Apoſtolicus Anno 1523.

Eidem

Sylueſtri, Luthero purgator nòn ſatìs ignis;
Illum ergò æternans infera flamma cremet.

XXII.

Magiſter Thomas Badia, ad Colloquium Vormatienſe, & Tridentinum Concilium, à Paulo III. Legatus de latere creatus, Lutheranorum Zvvinglianorum, & Caluiniſtarum audaciæ Compreſſor: Diſputator & Scriptor, Sapientià, Eruditione, & Prudentià commendatiſſimus: Inſtituti Societatis Ieſu Recognitor, & Approbator. Obijt Cardinalis Anno 1547.

Eidem

Extorres Ieſu Thomas priùs improbat hoſtes:
Et Ieſu Socios approbat indè pius.

XXIII.

Magiſter Ambroſius Pelarges Niddanus, irreconciliabilis Hæreticorum Hoſtis, quos Diſputationibus, & Scriptis, ſedulò, quoàd vixit impugnauit, maximè Anabaptiſtas, Iconomacos Oeccolampadium, Lutherum, & Eraſmum: Concilij Niceni Traductor, & in Tridentino Procurator, Conſultor, & Orator. Obijt Anno 1548.

Eidem

Pelarges contrà Hæreticos, Ambroſius alter:
Orat, procurat, conſulit hìnc Patribus.

XXIV.

Magiſter Dominicus Soto, laudatiſſimus Iuris vtriuſque, & Theologiæ Doctor: Vniuerſitatis Salmanticenſis Cathedræ, annis xx. Primus Moderator, Caroli V. Confeſſarius, à quo ſibi oblatum Epiſcopatum Segouienſem conſtantiſſimè recuſauit: in Concilio Tridentino Conſultor, Scriptor, & Orator. Obijt Anno 1560.

Eidem

Mitram Segouienſem oblatam Soto recuſat;
Haùd acquiſiſſe, àt promeruiſſe ſatìs.

XXV.

Magiſter Hieronymus Treuiſanus, Patritius Venetus, magni nominis Theologus, Concionator gratiſſimus, Epiſtolæ Diui Pauli ad Hebræos Commentator: & in Concilio Tridentino Conſeſſor, in quo ad publicam Naturalium, Diuinarumque Litterarum Profeſſionem, à Patribus deſtinatus. Obijt Epiſcopus Veronenſis Anno 1562.

Eidem

Treuiſanus Paulum commentatur, & altè:
Infulà, & ornatus, tollitur altus itèm.

XXVI.

Magiſter Ægidius Fuſcararius, Exercitiorum Societatis Ieſu Reuiſor, & Approbator: præcipuus Cathechiſmi Auctor, Miſſalis, & Breuiarij Romani Corrector: Oraculum, Arcaque Scientiæ appellatus à Patribus, in Concilio Tridentino, Cuius Actorum Scriptor, & Sermonum Cenſor. Obijt Epiſcopus Mutinenſis Anno 1564.

Eidem

Concilij Oraclum, ſcribens Ægidius Acta,
Dicta & cenſurans, Arca Scientiæ adeſt.

XXVII.

Magiſter Thomas Stella, ſplendidiſſimus huius Conuentus Filius, prodigioſus Scriptor, Thaumaturgus Concionator, Sodalitatis Sanctiſſimi Sacramenti, Romæ, primus Erector, & in Concilio Tridentino Orator, ſupèr articulum dè Iuſtificatione aſſiduus. Obijt Epiſcopus Iuſtinopolitanus, quo in Regimine, Vergerij hæreſim eliminauit, Anno 1566.

Eidem

Cum Iuſtinopoli, Adria clamant, Roma, Tridentum:
Eſt Thomas verè Stella, & vbiquè micans.

XXVIII.

Magiſter Hieronymus Vielmus, huius Conuentus memorabilis Filius, Sancti Caroli Præceptor, in Vniuerſitate Patauina, & Romana, publicus Sacræ Doctrinæ Interpres: Litterarum Diuinarum, & Humanarum, ac Scholaſticæ Theologiæ intelligentiſſimus, multì habitus Scriptor, & Confeſſor in Concilio Tridentino. Obijt Epiſcopus Eumonienſis Anno 1582.

Eidem

Sit noſter qualis, quantus vis noſſe Vielmus?
Doctrinam cernas, Diſcipulumque vide.

Patrum Concilij Elogia, eià agè, lecta repone:

Picturas paritèr conuenit inſpicias.

Cerne has, quas prompſit Ceruelli dextra Fedrici,

Pictrix ſublimis, dulcis, & egregia.

Diuina hìc altè reſidet Sapientia regnans,

Hanc ſibi Quæ ſacram ſtruxit & indè Domum;

Excidit ſeptem verbo omnipotente Columnas:

(Diuinus totidem Dona Amor & tribuit;)

Verùm diſponit quià Hic omnia ſuauitèr æquè,

Miſcuit & Vinum, Menſa ſtat appoſita.

Signa tenens fertur Liber, eſt cui deſupèr Agnus;

(Aſt aperire alter, ſoluere quippè nequit.)

Spiritus hìnc Paracletus ſplendens prominet Almus,

Dono cuius adeſt, & Sapientia ineſt.

Cunctis diſpoſitis, Ancillas miſit ad Arcem,

Omnes inuitent, ùt veniant, comedant;

Arbitrium haùd arctans, inuitat dulcitèr æquum

Gratia præueniens, allicit, indè trahit.

Hùc illùc pergunt Cœleſtes porrò Miniſtri,

Præſunt & vigiles exteriùs Cherubin.

Funditùs Hæreſim & euertunt, cùm Fraude retrudunt,

Longè abſint, Verà cum Socià, Alma Fides,

Sèd quià sì Dei abeſt Timor, & Prudentia diſtat,

Nèc Deus accedit, nèc Sapientia adeſt:

Orat Hic à dextrà, ſedet Hæc à parte Siniſtrà,

Nè procùl hìnc abeat, sìc propè conueniunt.

Inſidet aſtrifero Prudentia deſupèr Orbe,

Nàm Prudens Aſtris sìc iubet, & Sapiens;

Ex Animantibus haùd vllum prudentius Angue:

In dextra eſt ſignans Imperium Baculus;

Serpentem memoret, cùm Prudens imperat ergò:

In promptu & Lancem, iuſta Iubens, habeat.

Se inſpicit in ſpeculo, promptus quod ei Puer offert:

Poſſe ſuum paritèr sìc ſpeculetur Agens.

Circinus & rectus ſupereſt, hìnc quem tenet Alter:

Quæ peragit Prudens, circinet illa priùs.

Supplex indè Timor Domini orans, Anchoræ inhæret:
Nunquàm desperans, Quisque rogans timeat;
Hìnc Perpendiculi assistens Puer vtitur arte,
Nè cadat hùcue illùc, perstet àt in medio.
Lustratis istis, iàm viuos conspice Vultus,
Ex quibus & sensus noscitur interior.
Pinxìt eos Lancetta Georgius, & Synodales,
Vim tribuens, motum, spiritum Imaginibus.
Scriptorum hæc igitùr famæ resonantis Imago,
Præclara & Quorum Nomina vbiquè patent:
Discipuli Thomæ, indè Magistrorum Orbe Magistri,
Noster Dominici quos sacer Ordo parit:
Scribunt, vt doceant mundum, cui posteà linquunt
Est id quod multis diuitijs melius.
Præsidet Angelicus Doctor, circumdatus astris,
Sol velùt & surgens ex Oriente micat.
Picturam, quam oculis lustras, si & mente reuolues,
Sancti huius vitam, Cœlica Gesta trahes.

Sede

Sede Magiſtrali, Birreto, in pectore Sole,
 Annulo & in dextrà, Doctor in Orbe præit;
Templum cum Sacrà Synaxi hìnc ſplendet apertum,
 Thomæ illinc Calamo, quod radiante nitet.
Quot Scriptis claret, tot gemmis Cappa refulget,
 Dotes, Virtutes ſignificant, memorant.
Ex Adamante, animi, valido, Conſtantia fertur:
 Cœleſtis ſtudij flamma Pyropo alitur:
Virginitatis amici, Gemma Smaragdus amica:
 Flaua Topazius àſt exhibet Obſequium:
Pauperibus ſimilis Sapphirus, ùt alba ſerena:
 Demonſtrat Zelum Sarda, sèd atra rubra:
Feruens intùs Amore Dei, ùt Carbunculus ardet:
 Ieiunis parcus fert Amethyſtus opem:
Vt Miſerator, Onyx oculos pius adiuuat ægros;
 Sanguine alit Iaſpis Martiryque ſitim:
Tranſparens, Verax verbis ùt corde, Beryllus:
 Cæruléus ſenſum Mortificat Cyanus:


Mentis Acumen Lyncurius, sèd linceus, affert:
Purus ab ira ignis Chryſolithus reſilit:
Succinum aquas Lacrymarum dictat, ſit quià guttis:
Obſcuram atque Fidem dans Hyacinthus itèm.
Germinat, & viridis fert Spem Chryſopraſus almam:
Trux pius, vnguifero Sardoniche, eſt Sapiens:
Venà multicolori, ùt Achates, Promptus ad omnes:
Lazulus eſt ſtellans, Natus ad aſtra velùt:
Terna Baſis, Cœleſtis, Calcedonius, Vrbis,
Perfectè huic ſimilis, Maximus eſt Humilis.
His Cappa ornatur gemmis Doctoris Aquini,
Pectore ſèd pendens, Mens ſibi recta fuit.
Innumeræ remanent Virtutes, ſicùt & Aſtra:
Repreſentat eas, Vnio & innumerus.
Pectus prætereà exornatur duplice Torque,
Sempèr Agens Speculans & quià Vita fuit.
Prominet inſiſtens Capiti, Diuina Columba,
Infuſa & Virtus venit, adepta quoquè.

Obſequium præſtant, Orbis cum Principe, Doctor:
Mulcet & alloquio Cœlica Virgo Parens.
Aufugit Hæreſis, haùd vnquàm, protrita, reſurgens:
Scripſiſti de Me quòd benè Chriſtus ait.
Indè Coronam gemmiferam mòx Angelus offert:
Cinctum, quo renes cinxit & antè, tenet:
Peſtiferum Scortum quandò Titione fugauit,
Et remanens Virgo, Lilia promeruit.
Nòn ſemel oblatos faſtus, Mitramque recuſans
Deſpexit Mundum? Nùnc Diadema ferat.
Prompta Pugillarem manus affert dextra, Papyrum:
Angelus Angelico præſtat ità obſequium.
Tanti huius Solis radijs ſuffunderis? eſt hìc
Commentatorum copia quanta libet.
Horum ſcire cupis sì grandia Nomina, Geſta,
In promptu, eccè tenes cuncta parata tibi;
Hìc paritèr ſunt deſcripta Elogiuncula circùm,
Sèd nimiùm diſtant: commodiùs videas.

Præ-

Prælege, pòst animo solitè quo consulis æquo,

Dic, Opera optare àn Quis meliora queat?



I.

Sanctissimus Ordinis Prædicatorum Gymnasiarcha, Thomas de Aquino, Diuinæ Mentis, & Voluntatis Interpres, Quintus Ecclesiæ Angelicus Doctor, Copiosus, Breuis, Facilis, Securus Magistrorum Magister, Sacrorum Conciliorum Oraculum, Hæreticorum inconcussus Malleus, & omnium Hæresum, probante Porrecta, ab Apostolica Sede, tàm antè, quàm in, & pòst eius vitam damnatarum, suis Scriptis, specialissimus Confutator, ab ipso sui in Ordinem ingressus Anno 1238.

Eidem

Thomas est Hic, Sedis is Almæ Doctor Aquinas,
Hæresis Extinctor qui est, erit, atquè fuit:
Concilij Oraclum, omnis & Arca Scientiæ aperta,
In Cœlo scriptus, Scriptor in Orbe micans.

II.

II.

Sanctus Raymundus de Peñafort, Theologus, & vtriusque Iuris Doctor, Sacræ Romanæ Rotæ Auditor, Maior Pœnitentiarius, Magister Ordinis, & Mercenariorum Fundator, Decretalium Compilator, Summæ de Casibus, Pœnitentià, & Sponsalibus, aliorumque Operum Primus Author. Floruit Anno 1263.

Eidem

Tot, nèc tanta tulit fortissimus hìc onera Hercles,
Quot Raymundus obit munera, quanta subit.

III.

Magister Vincentius Ciuis, & Episcopus Beluacensis, quatuor Speculorum Doctrinalis, Moralis, Historialis, & Naturalis, Posteris Traditor, in quorum vltimo (teste Sixto Senensi) ex infinitis Christianorum, & Gentilium Dictis, omne scitu dignum collegit. Floruit Anno 1264.

Eidem

Quis renuat Beluacensis nùnc discere Librum,
Cùm omnia scire, vno posse labore, sciat?

IV.

Beatus Iacobus de Voragine, Archiepiſcopus Genuenſis Magnum Eccleſiæ Lumen, Magiſter omni exceptione Maior, Maximus Eccleſiaſtes: omnia ferè Opera Diui Auguſtini memoriâ complectens, in ea, pluresque alios Hiſtoricos, Morales, & Scripturales Libros ſcripſit. Floruit Anno 1290.

Eidem

Si glutis Microcoſmum, es vera, Iacobe, Vorago;
Innumera âſt Opera, paruulus Orbis erunt.

V.

Magiſter Ioannes Sicola de Neapoli, Solemniſſimus Pariſienſis Doctor, creatus poſtquàm Sorbonicum Actum, à quinta matutina, ad ſeptimam veſpertinam, abſque Præſide, & vllà diuerſione, quadraginta opponentibus, argumenta ſuprà centum ſoluens, publicè ſuſtinuit. Plura ſcribens Floruit Anno 1320.

Eidem

Ergò, vno tantum actu, Doctor Sicola Scriptor?
Quantus, quàmque valens Actus àt iſte fuit!

VI.

VI.

Magister Herueus Natalis Brito, Generalis Ordinis, Doctrinæ Diui Thomæ, contrà Henricum Gandauensem, Durandum à Sancto Portiano, & alios ipsius impugnatores, Propugnator èx primis, varius, & multiplex, àt semper idem efficacissimus, & subtilissimus Scriptor. Floruit anno 1323.

Eidem

Thomam in nostrum hostes insurgant, atque rebelles;
Adsumus èn omnes: Herueus àst ego Dux.

VII.

Magister Nicolaus Durandellus Mendensis, quem Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus connumerat inter Solemnes sui temporis Doctores: pro Diuo Thoma scribens, Patruum Durandum arguit, Correctorium ipsius Corruptorij edidit, Apocalypsim, & Psalmos explicans, floruit Anno 1324.

Eidem

Esse parem sibi Durandellum, Patruus ambit;
Patrem, non Patruum, Filius àt sequitur.

VIII.

Magiſter Petrus de Palude Burgundus, Patriarcha Hyeroſolimitanus, Theologus, & vtriuſque Iuris Sapientiſſimus Doctor, Prædicator egregius, totius Bibliæ, & quatuor Librorum Sententiarum exactiſſimus Commentator, Hiſtoricus, Speculatiuus, & Moralis, vniuerſaliſſimus Scriptor. Floruit Anno 1330.

Eidem

Hiſtoricus, ſpeculans, moralis Scriptor, & orans,
Biblia, Ius, alijs, Petrus & omne ſciens.

IX.

Magiſter Ruppertus Holkot Anglus, Auctor moraliſſimus, & quouis Scientiarum genere ornatiſſimus, in Diuinis & Humanis Litteris apprimè verſatus, longè perſpicaciſſimus Theologus, Declamator feruidus, in quibus omnibus maximè emicans, aſſiduus in ſcribendo, Floruit Anno 1349.

Eidem

Exornant Humani omnes, Habituſque Superni
Ruppertum, in cunctis emicat aſſiduus.

X.

X.

Magiſter Ioannes Nider Sueuus, Vir arcanà, & Myſticà Diuinarum Scripturarum Interpretatione Summus, in Concilio Baſileenſi, & ad Boemos bìs Legatus, & in Conſtantienſi, contrà Huſſitas, pro Authoritate Pontificum, Fidei Pugil intrepidus, Scriptor magnì habitus. Floruit Anno 1435.

Eidem

Myſtica & arcana extent quamuìs Biblica Scripta,
Nider, Ioannes Ecſtaticus ſpeculans.

XI.

Sanctus Antoninus Conſiliorum, Ciuis, & Archiepiſcopus Florentinus, abſquè Præceptore Magiſter omniſcius, ad varios Principes, & Pontifices, pauper Fraterculus, legationis officio functus, Romæ Cauſarum Auditor, inter Summiſtas Morales, & Hiſtoricos præcipuus. Floruit Anno 1459.

Eidem

Eſtò Antoninus, ſinè præceptore, Magiſter:
Diſcipulum Mundum vixuè Magiſter habet.

XII.

Magister Dominicus de Flandria, profundissimus Theologus, Philosophorum Thomistarum Princeps, Angelicæ Doctrinæ, in Quęstionibus Metaphysicis, quas euulgauit, insignis Præco, eiusque in Anti-, & Pseudo-Thomistas vehemens, impatiens Vindicator. Floruit Anno 1476.

Eidem

Præco, scientià in ambà, Princeps Flandria. Tiro!
Princeps, & Præco sit tua Norma regens.

XIII.

Magister Paulus Soncinas, in Scholasticorum Lectione nobilitèr exultus, in Vniuersitate Bononiẽsi publicus Metaphisices Interpres, exercitatus D. Thomæ Discipulus, Aristotelis Commentator, & Operum Capreoli supèr quatuor Libros Sententiarum, celebris Compilator. Floruit Anno 1494.

Eidem

Quid mirum, Soncinas sì vndiquè fulgeat æquè?
Thomæ qui studuit, glossat Aristotelem.

XIV.

Magiſter Thomas de Turrecremata, eiectionis Hebræorum, & Maurorum ab Hiſpaniarum Regnis, quorum ſupremus Inquiſitor, Author: centum circà millium Hæreticorum Reconciliator, Directorij Inquiſitorum, Sanctionum, & Decretorum Sancti Tribunalis Conditor. Floruit Anno 1498.

Eidem

Mauros, Iudæos dat vitæ, ſaluat Iberos,
Hæreticis pacem, Turrecremata refert.

XV.

Magiſter Zenobius Aciaiolus Florentinus, in rebus Diuinis, & Humanis, Linguarum cognitione, Vitæque Sanctitate adeò inſtructus, vt (Plodio referente) Hieronymus, & Auguſtinus rediuiuus videretur, Vaticanæ Bibliothecæ, cui præclara ſui ingenij monumenta reliquit, Præfectus. Floruit Anno 1520.

Eidem

Vaticana, tibi nùnc, Bibliotheca! rependit
Deuotus doctus perdita Zenobius.

XVI.

Magiſter Iacobus Hoocſtratanus Brabantinus, infracti animi, Coloniæ, contrà Hæreſes, & Hæreticos Inquiſitor, quos ità ſuis Lucubrationibus, quoàd vixit, exterminauit, vt ſuæ Tragediæ Coryphæi, Suorumque Peſtis titulo, ab eiſdem inſigniretur. Floruit Anno 1527.

Eidem

Eſt Fidei Coryphæus, Peſtis qui Hæreſis extat:
Verè te extollent his, Iacobe, notis.

XVII.

Magiſter Franciſcus Silueſtri Ferrarienſis, Generalis Ordinis, prætèr alia ſpeculatiua & moralia Opera, doctiſſimus Diui Thomæ Commentator ſupèr Contrà Gentes, prò quorum ad Fidem reductione, Suos ad Mexicanos, ſub Leone X. & Clemente VIII. expediuit. Floruit Anno 1528.

Eidem

In quos ſcribit, prò his mittens Franciſcus Alumnos
Mandat, eos ſaluent, sì & moriantur opus.

XVIII.

Magister Chrysostomus Iauellus Canapitius, incredibili penè ingenij felicitate præditus, in Philosophicis Disciplinis clarissimus, in Theologicis profundissimus Scriptor, cuius Opera Lac suauissimum Tironibus, Cibus verò solidissimus Prouectis. Floruit Anno 1530.

Eidem

Clarum Lac Tironibus, vtilis est Iauellus:
Verùm Prouectis, firma medulla, cibus.

XIX.

Magister Conradus Koelinus Vlmensis, Summæ Diui Thomæ Commentator, Quodlibetorum Moralium Resolutor, Lutheri blasphemiarum, in abominabilia, vèl apùd Gentiles, paradoxa, Conuersor, vigilantissimus Coloniæ Inquisitor, & Euersionis Lutherici Epitalamij Author. Floruit Anno 1536.

Eidem

Impia Conradus Lutheri, conuertit in atra;
Ast Epitallamium funditùs & resecat.

XX.

Magiſter Sanctes Pagninus Lucenſis, Chaldaicam, Hebraicam, Syriacã, & Græcã linguam adeò callens, vt à multis Diuo Hieronymo æquatus, ab ipſiſmet Iudæis, ſuis Rabbinis præferretur: quod confirmant tot eius Scripta, quibus ſui Ordinis, & totius Eccleſiæ Decus floruit Anno 1541.

Eidem

Biblica, Pagn-inus, nì Hieronymus, expoſuiſſet:
Linguarum Donum nòn minus ille habuit.

XXI.

Magiſter Franciſcus de Victoria, primarius Vniuerſitatis Salmanticenſis Theologiæ Moderator: in Hiſpaniarum Regnis Sacræ Doctrinæ Reſtaurator habitus, quam ſuis Relectionibus, Diſcipulis (inter quos Sotus, Cano, Medina) alijſque eximijs Operibus illuſtrauit. Floruit Anno 1545.

Eidem

Dignè Franciſci nomen, Victoria, cantat,
Quo, Hiſpanos iterùm Sacra Scientia adit.

XXII.

Magiſter Melchior Cano Toletanus, Epiſcopus Canarienſis, Lumen Concilij Tridentini, eruditione, & ſapientià clarus: linguarum Orientalium peritiſſimus, in Sacris Litteris, Patribus, Hiſtorijs, Ariſtotelis, & Diui Thomæ Doctrinà verſatiſſimus, notiſſimus de Sacramentis, & Locis Theologicis Scriptor. Floruit Anno 1560.

Eidem

Cede locum Cano, totus canit vndiquè Mundus:
Dequè Theologicis eſtnè Locis melior?

XXIII.

Magiſter Sixtus Medices, venerabilis huius Conuentus Filius, in Vniuerſitate Patauinà publicus Theologus, de Primis & Secundis Intentionibus, Tranſcendentibus, Generatione, & Corruptione, Præſtantià induſtriæ humanæ, Lumine Sanctæ Fidei & Hebræorum Vſuris, illuſtris Scriptor. Floruit Anno 1561.

Eidem

Iudæorum omnes Vſuræ, haùd debita ſoluunt,
Prò his quæ de Vſuris nos docuit Medices.

XXIV.

Magiſter Hieronymus de Oleaſtro Luſitanus, ibìque Generalis Inquiſitor, in Græca, & in Hebraica Lingua, Sacràque Scripturà, quam pulcherrimis Commentarijs explicauit, probatiſſimus: in Concilio Tridentino, contrà ſui temporis Hæreſes, nulli Theologorum inferior. Floruit Anno 1563.

Eidem

Præcipuus micat in Sacra Scriptura Oleaſter,
Græcorum linguà callet, & Hebraicà.

XXV.

Magiſter Iacobus Naclantius Florentinus, Epiſcopus Clodienſis, coràm Paulo III. pluriès Diſputator, ſpectabilis in Philoſophiam, Sacram Scripturam, Controuerſias Hæreticorum, de Indulgentijs, Authoritate Papæ, & Conciliorum, ac Diui Petri Primatu Scriptor, Concilij Tridentini Compilator. Floruit Anno 1570.

Eidem

Diſputat & multò, Papam Naclantius antè
De Primis Petri; Primus & eccè redit.

XXVI.

XXVI.

Magister Camillus Campegius Picinensis, Episcopus Nepesinus, & Sutrinus, in Congressu Vormatiensi Protestantium Terror: ad Concilium Tridentinum, ùbi eius operà, multa stabilita, à Pio IV. missus, Adnotationum in Hæreticos, & Priuilegiorum prò Crucesignatis Euulgator. Floruit Anno 1568.

Eidem

Summis Protestantes haùd obedire Statutis
Terret Campegius: lætificat Synodum.

XXVII.

Magister Sixtus Senensis, inter Hebræos natus, Conuentuales receptus, & Dominicanos Professus, præstantissimus Theologus, & Concionator: Latinæ, Hebraicæ, & Græcæ Linguæ scientissimus, Biblicus, & Scholasticus Scriptor, Bibliothecæ Sanctæ grauissimus Author. Floruit Anno 1569.

Eidem

Non Liber vnus Sixti Operum, sèd Bibliotheca
Alma extat, grata & Gentibus Hebraicis.

XXVIII.

Magiſter Thomas Caſellius Calaber, Epiſcopus Cauenſis, à Patribus Sacri Concilij Tridentini, in quo (Eminentiſſimo Pallauicino teſtante) contrà Braccium Martellum Epiſcopum Feſulanum, fuit pro Regularibus Bracchium ſimùl & Malleus, Commiſſarius conſtitutus. Floruit Anno 1571.

Eidem

Braccius ìn Fratres, Thomas prò Fratribus exit.
Si Frater, Fratri, Lector & es, benedic.

XXIX

Magiſter Franciſcus Forrerius Vlyſſiponenſis, à Sebaſtiano Luſitaniæ Rege ad Concilium Tridentinum miſſus, à Secretis cenſuræ librorum, quorum Indicis Ordinator & Editor: Miſſalis Romani, Breuiarijque reformandi Coadiutor, deputatus, Biblicus ibidèm Scriptor & Orator. Floruit Anno 1576.

Eidem

Concilij ſunt ritè fores Forrerio apertæ,
Tanta Tridenti qui munera totque ſubit.

XXX.

XXX.

Magiſter Bartholomæus à Medina, primariæ Theologiæ Cathedræ apùd Salmanticenſes Præfectus, in vniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam, & Diui Thomæ Theologiæ Summam, emendatiſſimus Expoſitor : de Veritate Corporis Chriſti, Caſibuſque Conſcientiæ, cordatus Scriptor. Floruit Anno 1580.

Eidem

Non Primus, medius Virtute Medina refulget:
Nàm Vitium Extremis, Illa sèd in medio.

XXXI.

Magiſter Antonius Vimanarenſis Luſitanus, celebris Chronographus, Theologicus, Moraliſque Scriptor, Operum Diui Thomæ accuratiſſimus Illuſtrator, Marginalis Adnotator, & typicus Nouiſſimorum Euulgator : Louanij Magnus Studiorum Regens, Floruit Anno 1586.

Eidem

Parce, tuos sì, Antoni, Annales irrogo iuſtè;
Integritate carent. Sunt ùbi Geſta tua?

XXXII.

Magiſter Ludouicus Granatenſis , nunquàm ſine præcellenti laudum Encomio nominandus, cum Doctrinæ in ſuis Operibus contentæ , Gregorij XIII. Summi Pontificis Oraculo, maiora extent miracula , quàm ſi cæcis viſum , vitamque mortuis impetraſſet . Floruit Anno 1589.

Eidem

Doctrinæ Lodoici extant miracula & alta.
Eſt Papæ Oraclum. Tu cole Muſa, tace.

XXXIII.

Magiſter Bartholomæus de Martyribus, Archiepiſcopus Braccarenſis, Doctrinà & Sanctitate, in Concilio Tridentino, nemini Patrum ignotus ; ſuis Scriptis adeò proficuus, vt Sanctus Carolus Borromæus , eorum lecturà in menſa paſci, recollectione pòſt , recreari quotidiè vellet. Floruit Anno 1590.

Eidem

Sunt Docti multi, vèl Sancti : Docti àt & Almi
Pauci, quos intèr Bartholomæus adeſt.

XXXIV.

XXXIV.

Magiſter Melchior Moſticenſis Polonus, Sacer Orator feruentiſſimus, Fidei Orthodoxæ vehemens Defenſor: Hæreticorum, quorum plura millia conuertit, impauidus Perſecutor, & Bernardini Ochini transfugæ deplorans Confutator. Scribens floruit Anno 1591.

Eidem

Orat, defenditque Fidem: Sèd Melchior Hoſtem
Plorat, & haùd fruſtrà; Transfuga regreditur.

XXXV.

Magiſter Ioannes Vincentius Aſturicenſis, Procurator, & Vicarius Generalis Ordinis, Alberti Cardinalis Archiducis Auſtriæ Confeſſarius: ſuis de Gratia Chriſti Prælectionibus, in Salmanticenſi primò, & in Romanà Sapientià demùm acclamatiſſimus. Floruit Anno 1593.

Eidem

Aſturicenſis Scriptis, Sapientia floret:
Hinc Salmantica flet, Roma triumphat ouans.

XXXVI.

XXXVI.

Magiſter Alphonſus Ciacconius Beatienſis, Patriarcha Alexandrinus, Hiſtoriarum, Librorum, & Antiquitatum Heluo dictus, de quibus, & in primis de Vitis Geſtiſque Pontificum Romanorum, à Diuo Petro vſquè ad Clementem VII. Eorumque Cardinalibus, ſuis impreſſis Inſignibus, laudatiſſimè ſcripſit. Floruit 1599.

Eidem

Hìc Ciaconius? Omnia ſunt Armaria aperta:
Librorum Heluo adeſt. Bibliotheca Vale.

XXXVII.

Magiſter Dominicus Bañes Mandragorenſis, Cathedræ Theologiæ Salmantinæ Primarius Moderator: fidiſſimus Eccleſiæ Catholicæ, Authoritatis Pontificum, & Doctoris Aquinatis, contrà Modernos illius Doctrinæ Nouatores Defenſor, eiuſque Summæ ſinceriſſimus Commentator. Floruit Anno 1604.

Eidem

Papæ poſſe, & (Bañes) ſcire tuere Magiſtri;
Thomæ, ità, Dominici, Diſcipulus, Genitus.

XXXVIII.

XXXVIII.

Magiſter Thomas Maluenda Hiſpanus, diligentiſſimus Hiſtoriarum, præcipuè Ordinis Chronographus: ſuis de Antichriſto, & Terreſtri Paradiſo heroicis, Doctrinàque Sanctorum Patrum vndequaquè refertis Tractatibus immortalem memoriam conſecutus. Floruit Anno 1605.

Eidem.

Thomas verè immortalis Maluenda refertur;
Scribens nòn viſa, ùt viſa quasì, antè obitum.

XXXIX.

Magiſter Petrus de Ledeſma, in Vniuerſitate Salmanticenſi Cathedraticus Veſpertinus: de Sacramentis, & Cenſuris, de Diuinà Perfectione, Infinitate, & Magnitudine, de Caſibus Conſcientiæ, ac de Perfectione actus eſſendi creati, abſolutiſſimus Scriptor. Floruit Anno 1608.

Eidem

De Cenſuris abſoluit Ledeſma Regeſta;
Cenſor, Cenſori sì irroget, & ſuberit.

M XL.

XL.

Magiſter Balthaſar Nauarrete Valliſoletanus, in Thomiſticæ Doctrinæ defenſionem, Controuerſiarum de Auxilijs Diuinæ Gratiæ, excelsà, & copiosà eruditione ſcatentium, fundatiſſimus in ſana Theologia, Sacra Scriptura, &. Sanctis Patribus Scriptor. Floruit Anno 1610.

Eidem

Balthaſar, & benè, Diuina Auxilia explicat; atquì
Auxiliatur ei Gratia præueniens.

XLI.

Magiſter Ludouicus à Sotomaiori, in Concilio Tridentino, ſtrenuus Diſputator, à Philippo II. Anglorum Rege, & Reginà Marià, in Hæreticos, cùm Magiſtro Ioanne Villagarcià, in Angliam miſſus, ùbi in Oxonienſi Vniuerſitate ità profuerunt, vt Catholiciſmus ibì nùnc apparens, Eis (teſte Sandero) debeatur. Floruit Anno 1610.

Eidem

Vìx Rex Catholicus Lodoicum mittit ad Anglos,
Angeli & ex Anglis Catholici redeunt.

XLII.

Magiſter Raphael Ripa Venetus, Epiſcopus Clodienſis, nobiliſſimus huius Conuentus Filius, Eminentiſſimi Caietani, de Ente & Eſſentia, ſublimis Illuſtrator, Summæ Angelicæ, maximè in Tertiam Partem, de Diuinis Auxilijs, inuictus Defenſor, & Explicator. Floruit Anno 1611.

Eidem

Caietanum illuſtrans, veſtes Ripa meretur,
Vt Caietani Purpura tingat ei.

XLIII.

Magiſter Didacus Nuño Cabezudus, conſpicuus Tertiæ Partis Diui Thomæ Commentator, ùbi dè Controuerſijs Catholicorum cùm Hæreticis, & Thomiſtarum cùm Impugnatoribus, de Authoritate Papæ, & Conciliorum, de Indulgentijs, Diuinis Auxilijs, & Pontificijs Bullis, excellentiſſimè tractat. Floruit Anno 1612.

Eidem

Ardua Didacus aggreditur, doctè aſperiora
Expendit. Cunctis mollia ſufficiunt.

XLIV.

Magifter Didacus Aluarez Metinenfis, Archiepifcopus Tranenfis, de Diuinis Auxilijs, Arbitrij viribus & libertate, huiufque Concordiâ cum eorum efficaciâ altiffimus Scriptor, & coràm Clemente VIII. Difputator: fupèr Ifaiam, & Primam Secundæ, ac Tertiam Diui Thomæ Partem admirabilis Commentator. Floruit Anno 1613.

Eidem

Dirigit Arbitrij vires dùm Didacus aptè:
Gratia concordat; quod docet, ipfe probat.

XLV.

Magifter Ioannes Gonzalez de Albeldà, in Complutenfi Vniuerfitate, Cathedræ Theologiæ Primarius Rector, Commentariorum, & Difputationum in Primam Partem Diui Thomæ Promulgator, eiufque Doctrinæ nòn tàm fidelis Interpres, quàm fortiffimus Propugnator. Floruit Anno 1614.

Eidem

Quæ regit Interpres, pugnat, dùm fcripta Ioannes
Promulgat, Lector tractus abire nequit.

XLVI.

XLVI.

Magiſter Ioannes Paulus Nazarius Cremonenſis, in Primam Partem Diui Thomæ ampliſſimus Commentator: de Magià diſtinctiſſimus Enucleator: de Sacramento Euchariſtiæ, contrà Hæreticos Vennonetes, Apologeticus Scriptor, & iuſſu Clementis VIII. publicus Pluosij Diſputator. Floruit Anno 1615.

Eidem

Intèr tot Doctores, hic Nazarius vnus
Scripta Magiæ aperit: nòn tamèn indè Magus.

XLVII.

Magiſter Gregorius Martinez Segobienſis, feliciſſimus Commentator in Primam Partem Diui Thomæ, cuius Mentem ad vnguem attingit, Doctrinam viriliter tuetur, & ſuſtinet, ac mirà lucubratione, diligentià, & ſtudio eruditiſſimè expendit. Floruit Anno 1622.

Eidem

Noſtrum Thomam promit ad vſquè Gregorius vnguẽ:
Tuque Leonem iſtum, Lector, ab vngue cape.

XLVIII.

XLVIII.

Magiſter Thomas de Lemos ex Gallecia , coràm Clemente VIII. de Diuinorum Auxiliorum efficacià , & libero Arbitrio , glorioſus Diſputator , & Scriptor: Doctrinæ Diui Auguſtini talis Poſſeſſor , ùt memoritèr extemplò, loca falsò relata, fideliſſimè recitauerit. Floruit Anno 1629.

Eidem

Mente Auguſtinum Lemos voluenſque reuoluens ,
Scit, ſit quæ è ſacco vera farina ſuo ,

XLIX.

Magiſter Franciſcus de Arauyo Hiſpanus , Epiſcopus Segobienſis , in florentiſſima Salmantina Vniuerſitate , Primariæ Theologiæ Cathedræ longæuus Moderator , & in Secundam Secundæ , & Tertiam Diui Thomæ Partem , breui ſtylo , ſed gratà facundià , dexter , & facilis Commentator. Floruit Anno 1636.

Eidem

Aſſiduè ſtuduit , legit Franciſcus vbiquè ;
Qualis longæuus quis Moderator erit?

L.

L.

Magiſter Dominicus Grauina Siculus, Regiæ Neapolitanæ Vniuerſitatis Primarius Theologiæ Profeſſor, Catholicis Præſcriptionibus, aduersùs ſui temporis Hæreſes, Nouatores, & Hæreticos ſeuerus, sèd Voce Turturis gratus, ſempèr autèm idem grauiſſimus Scriptor. Floruit Anno 1639.

Eidem

Turturis auditur vox: læti occurrite patres,
Sponſa Grauina velùt, plaudite, dùm properat.

LI.

Magiſter Ioannes à Sancto Thomà Vlyſſipponenſis, in Complutenſi Academia, Sacræ Doctrinæ Primarius Profeſſor: Phillippi IV. Hiſpaniarum Regis Confeſſarius: Scriptorum ſui temporis, in Vuiuerſam Ariſtotelis Philoſophiam, & Diui Thomæ Summam, nemini Secundus. Floruit Anno 1644.

Eidem

Ioannem à Sancto te appellant, & benè, Thomà:
A' Thomà Thomas, alter ab altero ideſt.

LII.

Magiſter Xantes Mariales Venetus, huius Conuentus præfulgidum Iubar, Hiſtoricus Scriptor, & Controuerſiarum àd Diui Thomæ Summam, ac quatuor Sententiarum Libros, Bibliothecæ Interpretum, & Amphitheatri ad Quæſtiones Diſputatas, vnicus Author. Floruit Anno 1660.

Eidem

Diſputat, à Thomà, Xantes, quæ haùd diſcutit alter:
Non mirum; eſt Xantes Corpus, Aquini Anima.

LIII.

Magiſter Marcus Ferro Rhodiginus, huius Conuentus optimè meritus Filius, cui annuos redditus, àd alendos quindecìm Fratres, viuens contulit: in Speculatiuis ſingulare Speculum, in Moralibus vniuerſale Promptuarium: æquè ſempèr commendabilis Scriptor. Floruit Anno 1674.

Eidem

Verum eſſe Inſcriptum, Marci Scripta ipſa loquuntur:
De auditu & viſu, credite, Teſtis ego.

LIV.

Magiſter Petrus de Godoi, Ciuis, & Sacræ Theologiæ, Cathedraticus Salmantinus, verè Primarius, Epiſcopus Oxomenſis, Virtutum omnium Coronà redimitus, Diſputationum Theologicarum in Primam, Primam Secundæ, & Tertiam Partem Diui Thomæ, elegantiſſimus Scriptor. Floruit Anno 1676.

Eidem

Præmoritur, Patres, Godoi celeberrimus Heros,
Heu! Immortalem Mors rapit atra Virum.

LV.

Magiſter Ioãnes Baptiſta Gonettus Biterenſis, in Academià Burdigalenſi Anteceſſor, Clypei inexpugnabilis Theologiæ Thomiſticæ, Quem, contrà nouos Impugnatores Angelicæ Doctrinæ, nouiſſimè expoſuit, vtiliſſimus Author. Floret hoc anno 1682.

Eidem

Quàm benè Gonetto accidit, vnire vltima primis;
Ex primis Doctor, Scriptor & imus adeſt.

Hos intèr Doctores, tot Fideique celebres
 Munitur Sedes fortitèr Alma Duces;
Regnat tuta Domi Sapientia talibus Argis,
 His & eam quærens, inuenit omnis adit;
Dominicus Primas ouat, intèr Conciliares,
 Cernens tàm Pugiles, tàm Vigilesque Suos.
Gaudens Albertus, Victores Hæresis intèr,
 Dux è Stellà ortus, Solis adest genitor.
Tot Scriptorum Astris stipatus deniquè Thomas
 Iubilat & Princeps Angelus ùt Michael.
Viuat in æternum ergò hic Ordo Dominicanus,
 Æterno Cœlo Spiritus, Astra ferens.
Augustine Parens exulta Tu quoque, nostrà
 Doctor Doctorum, in Relligione micans.
Nòn desunt plures: electi ex millibus Isti,
 In Pluteis extant Bibliothecæ Alij;
Ex quibus estò duo hìc viuant, non prætereundi,
 Æterna ùt perstent Nomina digna sua.

I.

Magiſter Io: Petrus Bartolettus, Regimine huius Conuentus, & Prouinciæ (cuius perennis benè-merentis memoriæ Filius) bìs tèrque, quatèrque apprimè perfunctus: in philoſophicis, Metaphyſicis, & Theologicis Diſciplinis tàm excellens, eleuatus, ſublimis, ùt potiùs præ tranſcendentià Ecſtaticus, quàm præ ſcientià Speculatiuus, fuerit, ex Cathedra docens, acclamatus: Inclyti Sereniſſimæ Venetiarum Reipublicæ Status Conſultor, primus ex Ordine noſtro, ſeptèm ab hìnc circitèr luſtris, aſſumptus, omni de re, ſupèr quolibet quæſito, in quacumque materià quotidiè reſolutè ſcribens, ni publicas Bibliothecas, Pluteos Secreti Regij Archiuij, ſuis Senatus-conſultis ditauit, auxit, illuſtrauit: In aptandis præcipuè Petri Clauibus, Marci Seris, adeò dexter, vt nèc illis impellentibus, nèc iſtis repugnantibus, tàm in aperiendo, quàm in claudendo, abſque difficultate concordes manu-duxerit. Diminutè magìs amicæ Veritati parcat Amicus, Florens hoc anno 1683.

Eidem

Ioannes Speculans, in Iure eſt Bartolus alter;
Prò Petro, & Marco, petra Petrus ſolida.

II.

Magiſter Innocentius Pencinus, innocentiſſimus huius Conuentus Filius, & Prouinciæ, cui egregiè præfuit, innoxius Pater: celebris, in Vniuerſitate Patauina, pluribus annis, publicus Metafiſices Interpres: Theologus inſignis: Angelicam totius ſacræ Doctrinæ Summam adeò callens, ùt nullus ei locus extemplò citetur, quìn immediatè memoritèr ad litteram repetat, Doctrinam fidelitèr conteſtetur, Sancti Doctoris mentem euidentèr aperiat. Sacer Orator, in declamando feruidus, in ſuadendo ſenſatus, in conuincendo argutus: è ſuggeſtu dicens, præclarioribus peragratis Prouincijs, vniuerſam Italiam ſpectantem, ſtupentem, ſibi plaudentem vidit, ſuique Orbis Vrbem deſiderio deſiderantem diù tenuit, tandèm magìs ſitientem, poſtquàm audiuit, reliquit: Sacræ Scripturæ, & Patrum, talis exculcus Expoſitor, vt editâ, inter alia ſaluberrima doctiſſima Opera, Myſtico-ſacrâ Galaxiâ in Geneſim, Exodum, Leuiticum, Numerum, Deuteronomium, & quatuor Euangeliſtas, Viam verè lacteam ad Cœlum, cùm Syntaxi & Harmoniâ, patefecerit; Infulæ proindè meritiſſimus, Purpurâ dignus, Triregno haùd ineptus. Abſit adulatio verbo, nèc erubeſcat parcâ ſinceritate Modeſtus, Florens hoc anno 1683.

Eidem

Nemo iter ad Cœlum aſperum, & ignotũ eſſe queratur:
Pencini eccè patet lactea ſtrata Via.

Hìc

Hìc tibi dicendum Librorum de ordine quidquam,
De isto hucusquè tamèn dicere nil valeo.
Sunt Plutei, ùt cernis, Libris hìnc indè referti:
Non his ordo datus conueniens àt adhùc;
Sed citò, dante Deo, præstabitur aptus, & æquus:
Prouisum reliquis omnibus & paritèr.
Bibliothecæ antiquæ hi sunt, multi pretiosi:
Valdè autèm plures prouideat Quis opus,
Quos nobis sanè quamprimùm emisse iuuabit,
Æquè conformes indè fuisse semèl.
Insupèr aurari, pingi quoquè ligna supersunt;
Sumptibus àt nòn tot, Bursa sàt vna simùl.
Quæ sunt depicta hìnc illìnc Emblemmata, nostro
E' Gentilitio Stemmate tracta scias;
Eminet Hoc pictum medià vitreàque fenestrà,
Continet ac infrà quæ omnia scripta leges;
Nòn tantùm quæ Insignìa formant Ordinis intùs,
Sèd quæ circùm ornant Munera digna forìs:

Alter, Conopeum, P̄, sèd titulo, I P̄, sùb vno
Cùm Face, cùm Palmà Lilium, & Orbe Canis.
Mitra, Triregnũ, Crux nigra & alba, ruberque Galerus,
Cæsareum gemmis & Diadema nitens:
Regia itèm pretiosis culta Corona capillis:
Et tandem substans ex Oleis Cidaris.
His benè respondent sub Stemmate verba relata,
Omnia sì ex vnà Religione fluunt.



Emblemma I.
Conopeum tensum.

EPIGRAPHE.

A' gelu & æstu.

Conopeum tensum à gelu & æstu munit opertos:
Noster fert eadem munia sìc Habitus.

Emblemma II.
Aster matutinum.

EPIGRAPHE.
Solis Præcursor.

Vt graditur Phœbum radiantem Lucifer antè:
Solem & Aquinatem Stella ità Dominici.

Emblemma III.
P. abbreuiatum, Ordinis significans nomen,
scilicèt Prædicatorum.

EPIGRAPHE.
Varius àt idem.

Est eadem, variata licèt, P. littera plures:
Prædicatorum vna, àt Relligio varia.

Em-

Emblemma IV.

IP, sub vno titulo, Conuentus signans Nomen, scilicèt Io: Pauli.

EPIGRAPHE.

Bonum in vnum.

Quàm benè stat simùl, IP, & in vnum littera bina:
Ioannis Pauli Diuûm ità state Patres.

Emblemma V.

Palma viridis.

EPIGRAPHE.

Fidei Triumphis.

Seruantur Palmæ, Cœli Fideique Triumphis:
Martyribus quantis, & quot hic Ordo viret.

Emblemma VI.

Lilium album.

EPIGRAPHE.

Candoris fragrantià.

Virginibus paritèr, Cœlestia Lilia florent:
Candida vbiquè fragrant Lilia Dominici.

Em-

Emblemma VII.
Canis Dominicanus.

EPIGRAPHE.

Custos, Pugil, & Vigil.
In Fures Vafros, Custos Vigil, & Pugil Hostes:
Est Domini verus, Dominicique Canis.

Emblemma VIII.
Fax supèr Candelabrum accensa.

EPIGRAPHE.

Nusquàm sùb modio.
Sùb modio succensa, Lucerna haùd permanet vsquàm:
In Candelabro Dominici Facula.

Emblemma IX.
Mundus inflammatus.

EPIGRAPHE.

Vt sim verè.
Vt sim verè Mundus, flammis expior istis:
A' Face Gusmanà, Lux ità clara mihi.

Emblemma X.
Crux ſancti Officij alba, & nigra.

EPIGRAPHE.

Nullibì tutior
Crux bicolor Sancti Officij nòn tutior vſquàm,
Albus quàm in Cœtu, cui Color atque niger.

Emblemma XI.
Triregnum Pontificale.

EPIGRAPHE.

Terræ Cœloque
Dùm Terræ imperat, Aſtris præcipit indè Triregnum;
Patribus & noſtris hoc quatèr vſquè dedit.

Emblemma XII.
Galerus rubeus.

EPIGRAPHE.

Sanguine rubrior.
Sanguine tinctus Muricis, eſt ruber arte Galerus:
Guſmanus rubrior Sanguine Martirij.

Emblemma XIII.
Mitra Paſtoralis.

EPIGRAPHE.

Cœlo apertior.
Sursùm Mitra deorsùm, quamuìs bìs patefacta:
Sempèr apertior eſt Dominicana Deo.

Emblemma XIV.
Diadema Auguſtum.

EPIGRAPHE.

Deuicto Sæculo.
Marte, acquiritur Auguſti Diadema, reuicto:
Sæculo, àt in noſtro, Hoc, Ordine ſæpè fuit.

Emblemma XV.
Corona Regalis.

EPIGRAPHE.

Legitimo Certamine.
Nonnè coronatur iuſto certamine Victor?
Regia Guſmanis ergò Corona datur.

Emblemma XVI.
Cidaris Othomana.

EPIGRAPHE.

Subest, quæ imperat.
Dominicus dùm fit Gusman, Osman Othomanus,
Dominici Imperio subiacet & Cidaris.

Emblemma XVII.
Rami quatuor Olearum.

EPIGRAPHE.

Lux. Pax. Salus. Vita.
Symbola sunt Oleæ Lucis, Pacisque, Salutis,
Vitæ. Hæc det nobis prò pietate Deus.

Pijs Lectoribus.

Si cecinit malè, quæso rudi Vos parcite Musæ:
Mecum Allelu-iah, si secùs, incipite.

Imprimatur.
Fr. Io: Thomas Rouetta Inquisitor
Generalis Venet. 24. Feb. 1683.

Gio: Battista Nicolosi Segr.

ELENCHVS HÆRETICORVM.

Ico-

ELENCHVS
Alitum prò Symbolis in Hæreticos.

ELENCHVS
Expugnatorum Hæresum.

ELENCHVS
Patrum à Concilijs.

ELENCHVS
Scriptorum.

Lu-

ELEN-

ELENCHVS

Emblemmatum.


FINIS.

In aliquale Erratorum Supplementum.

Impressor quæ præteriens Errata, tenaci
More suo, expressit, corrige Lector ità.

Err.	*Pag.*	*Corr.*
Monroij	7	Monroy
vti	7	vtì
inclitæ	9	inclytæ
proiudum	11	prouidum
Fabre	17	Fabre-
paſeit	29	paſcit
eza	43	Beza
capitnr	44	capitur
Leouardus	55	Leonardus
cuaſit	58	ſuaſit
meliùs	66	melius
nitet	67	nitet
Pagn-inus	80	Pagninus
Floruit 1599.	88	Floruit Anno 1599.
Dnx	98	Dux
Diminutè	99	Diminutæ
nſupèr	101	Inſupèr
Diũũm	104	Diũũm (pro Diuorum)
Acakezena	110	Rokezena

Quæ magìs officiunt ſenſum, hæc grauiora notaui:
Cætera compatiens deme minora piè.


UB